REFORMATORII *in Concilio Constantiensi* DE ECCLESIÆ REFORMATIONE STATUTA GENERALIA, *sive* Geminum Protocollum.

Ex antiquissimis Codicibus MSCtis *AUGUSTISSIMÆ BIBLIOTHECÆ CÆSAREÆ VINDOBONENSIS.*

CAPUT I.

De Conciliis generalibus, & adversus futura schismata (*a*)

Damna ex neglectu Conciliorũ generaliũ.

QUoniam ex omissione generalium conciliorum errores & schismata, impressiones & scandala, in Ecclesia Dei damnabiliter hactenus succreverunt: Volentes futuris obviare periculis, hoc perpetuo (*b*) decreto statuimus: Ut deinceps, saltem *de decennio in decennium, generalia concilia*, exceptis duobus primis futuris conciliis, quorum *primum* à *fine hujus concilii usque ad quinquennium*, secundum vero à fine sequentis concilii usq; ad septennium, & deinceps de decennio in decennium, celebrentur, in locis, quæ summus *Pontifex* in fine cujuslibet Concilii, *approbante & consentiente concilio*, vel, in ejus defectu, *ipsum concilium deputare* & assignare teneatur.

Singulis decenniis Conciliũ Generale celebrandum.

Pontifex novũ indicat Concilium approbante priore Cõcilio.

Ut sic *per quandam continuationem semper* aut *concilium vigeat*, aut per termini pendentiam *expectetur*.

Perpetuã fere concilium.

Quem *terminum* liceat summo Pontifici, de fratrum suorum consilio, ob emergentes forte casus, *breviare*: Sed nullatenus liceat *prorogare*. *Locum* autem deputatum *non mutet*, nisi forte ex evidenti necessitate, & de fratrum prædictorum, aut duarum partium consensu atque subscriptione.

Anticipare terminum Concilii Pontifex potest, non differre.

Quam *mutationem* vel *abbreviationem* per annum ante præfixum terminum *publicare* & intimare teneatur.

Si vero, quod absit, *novum schisma* oriri contigerit, ita, quod duo vel plures pro summis Pontificibus ex quacunque causa se gerant, à die, quo ipsi duo vel plures insignia pontificatus publice assumserint, seu administrare cœperint, intelligatur ipso jure *terminus concilii*, tunc forte ultra annum pendens, ad annum proximum *breviatus*.

Ob schisma Pontificum termin' Concilii anticipandus.

Ad quod omnes prælati, & cæteri, qui ad concilium ire tenentur, sub pœnis juris, & aliis per concilium imponendis, absque alia vocatione conveniant.

Nec non *Imperator*, cæterique *Reges* & *Principes*, vel personaliter vel per solennes nuncios, tanquam ad commune incendium extinguendum, per viscera miseri-

Imperator, Reges ac Principes Concilio interfint, si Pon-

(*a*) Hic titulus in *utroq; MSCto Vindobonensi* comparet. In posteriori tamen additur: *Avisamenta, per XXXV. Cardinales, Prælatos & Doctores, in loco Reformatorii Constantiensis.* Quæ inscriptio totius potius hujus libri aut Protocolli. Eadem quippe & primi Protocolli frons: *Avisamenta Reformatorum Concilii Constantiensis.*

(*b*) In altero Codice MSCto legebatur *perfecto decreto*, lapsu sane calami scriptoris.

tifices d is-sideant. misericordiæ JEsu Christi ex nunc exorati, concurrant.

Disidentes Pontifices Concilium maturè ipsi indicant. Et *quilibet* ipsorum *pro Romano Pontifice se gerentium*, infra mensem à die, qua scientiam habere potuit, alium vel alios assumsisse papatus insignia, vel in papatu administrasse, *teneatur* sub interminatione maledictionis æternæ, & amissione juris, si quod forte quæsivit in papatu, quam ipso facto incurrat, & ultra hoc ad quaslibet dignitates active & passive sit inhabilis, *concilium* ipsum ad terminum anni prædictum *indicere* & publicare; ac per suas literas competitori vel competitoribus, ipsum vel ipsos provocando ad causam, & cæteris prælatis & principibus, quantum in eo fuerit, intimare; nec non termino præfixo ad locum concilii personaliter se transferre; nec inde discedere, donec per concilium causa schismatis plenarie sit finita.

Ad Concilium ipsi veniant.

A papatu interea abstineant. Qui, sic electi, seu papatum tenentes, a die prædicta *in papatu nullatenus administrent. Nec interim eisdem* à fidelibus, nisi quoad conveniendum ad concilium, sub interminatione divini judicii, quomodolibet *obediatur.*

Electio Papæ per vim metumque, irrita. Quod si forte electionem Romani Pontificis *per metum* seu *impressionem* fieri contingat, ipsam *nullius* decernimus *efficaciæ* vel momenti, nec posse per consequentem consensum etiam metu cessante ratificari vel approbari.

In Pontificium schismate Concilium generale componat. Non tamen liceat Cardinalibus (c) ad aliam electionem procedere, nisi ille sic electus forte renunciet, vel decedat, donec *per generale concilium de electione illa fuerit judicatum.*

In schismate novum Papam eligere prohibentur Cadinales. Et si procedant, nulla sit electio ipso jure. Sintque sic *eligentes* & *electus*, si se papatui ingesserint, omni *dignitate*, honore, & statu, etiam papali, Cardinalatus & pontificali, ipso jure *privati*, & inhabiles de cætero ad easdem.

Cardinalium Collegium totum. Sed liceat, imò & teneatur collegium totum, aut saltem major pars ipsorum, (Nam paucioribus in hoc casu audientiam ad evitandum scandalum decernimus denegari,) *quam cito* sine periculo personarum poterunt, etiamsi periculum omnium bonorum immineat, *retrahere se ad locum tutum*, & *metum* prædictum *allegare.* Nec ultra proximum futurum concilium ullo modo possint differre.

legiũ denunciet et lectionis vitium.

Præcipiti electione factus Papa ad Conciliũ vocandus. Teneantur insuper, postquam se retraxerint, & metum allegarint, modo prædicto, *provocare* sic *electum ad concilium.* Quod si ultra annum pendeat, à die provocationis hujusmodi, intelligatur ad annum, ut supra, ipso jure terminus breviatus.

Et nihilominus teneatur *electus ipse*, sub pœnis prædictis, *& Cardinales provocantes*, sub pœna amissionis Cardinalatus & omnium beneficiorum suorum, quam ipso facto incurrant, infra mensem à die provocationis, *concilium* ipsum, ut supra dicitur, *indicere*, publicare, & quam citius poterunt, intimare, & *ad locum concilii* tempore conveniente personaliter *se transferre*, & usque ad finem causæ expectare.

Novus ille Papa cum Cardinalibus ad Conciliũ confluant.

Teneantur quoque Prælati & cæteri, ut supra, *ad convocationem Cardinalium tantum, si forte electus convocare cessaret*, accedere.

Qui sic electus, post provocationem prædictam, nisi in convocando concilium, ut præfertur, administrare in papatu non valeat. Nec sibi a Christi fidelibus, sub interminatione divini judicii, interim, nisi quoad conveniendum ad concilium, quomodolibet obediatur.

Quod si infra annum, ante diem indicti concilii contingant supradicti *casus*, vel, quod *plures se gerant pro papa*, vel quod *unus per metum eligatur*, censeantur ipso jure, tam gerentes se pro Papa, quam electus per metum, & Cardinales, ad dictum concilium provocati. Teneanturque in ipso concilio comparere personaliter, causam exponere, & *judicium concilii expectare.*

Casus de loco Concilii mutandi. Sed si dictis casibus contingentibus contingat forte *casus* aliquis, quo *necessarium* sit, *locum concilii mutare*, ut obsidionis vel guerræ aut pestis, aut similis:

Tenean-

(c) In priore *Codice MSCto Vindobonensi* hæc inseruntur: *sub pœna amissionis Cardinalatus & omnium beneficiorum, quam ipso facto incurrant.*

Teneantur nihilominus tam omnes supra dicti, quam omnes Prælati, cæterique, qui ad concilium ire tenentur, *ad locum proximiorem*, qui sit habilis ad concilium, *convenire*: Possitque *major pars prælatorum*, qui infra mensem ad locum certum declinaverint, illum sibi & aliis *pro loco concilii deputare*, ad quem cæteri convenire teneantur, acsi a principio fuisset deputatus.

De jure novum Concilii locum definiendi.

Concilium autem, ut præfertur, convocatum & congregatum, *de* hujusmodi *schismatis causa cognoscens*, & in contumaciam electorum, seu gerentium se pro Papa, seu Cardinalium, si forte venire neglexerint, *litem dirimat, causamque definiat*; ac *culpabiles* in schismate procurando seu nutriendo, vel in administrando, aut obediendo, vel administrantibus favendo, seu contra interdictum superius eligendo, vel calumniosos in allegando metum, etiam ultra prædictas pœnas, cujuscunque gradus, status seu præeminentiæ existant, Ecclesiasticæ vel mundanæ, sic *puniat, ut vindictæ rigor transeat cæteris in exemplum.*

Conciliū litem Paparum dirimat causamq; definiat.

Concilium præfractos in lite Papali puniat.

Adjicientes, quod *in fine cujuslibet concilii generalis hoc decretum solenniter legatur & innovetur.*

Hæc constitutio in fine cujusque Concilii publicanda.

Caput II.

Professio Bonifacii IIX. *Quæ hic ponitur, ut de cætero per assumendos in Pontifices summos fiat; Additis illis, de quibus in sequentibus constitutionibus, & quæ videbuntur addenda.*

Formula juramenti novi Pontificis, quã nominibo mutatis præstitit mox in Concilio Martino V. cũ additionibo Concilii, A. 1417. d. 18. Dec.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis Amen. Anno Dominicæ incarnationis, MCC XIV Indictione octava. Ego Benedictus Cagetanus, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diaconus, Cardinalis, & electus, ut fiam per Dei gratiam hujus sanctæ Apostolicæ sedis humilis minister, *profiteor tibi, Sancte Petre*, Apostolicorum Princeps, cui claves regni cœlestis, ad ligandum atque solvendum in cœlo & in terra, Creator atque Redemtor omnium JESus Christus tradidit, inquiens: Quæcunque ligaveris super terram, erunt ligata & in cœlis, & quæcunque solveris super terram, erunt soluta & in cœlis, *sanctaque Ecclesia tua*, quam hodie tuo præsidio regendam suscipio, quod, quamdiu in hac misera vita constitutus fuero, ipsam non deseram, non derelinquam, non abnegabo, nec abdicabo aliquatenus; neque ex quacunque causa, & cujuscunqte metus vel periculi occasione dimittam, vel me segregabo ab ipsa; Sed *veræ fidei rectitudinem, quam*, Christo autore tradente, per te, & beatissimum Coapostolum tuum Paulum, perque discipulos & successores vestros usque ad exiguitatem meam perlatam, *in* tua sancta *Ecclesia reperi*, totis conatibus meis usque ad animam & sanguinem custodire: Tum *de sancta & individua Trinitatis mysterio*, quæ unus est DEUS, quæque *per dispensationem, quæ secundum carnem* facta est, *unigeniti filii*, Domini nostri Jesu Christi, *& de cæteris Ecclesiæ Dei dogmatibus*, sicut in universalibus conciliis & constitutionibus Apostolicorum Pontificum, probatissimorumque Ecclesiæ Doctorum scriptis sunt commendata; Id est, quæcunque ad rectitudinem veræ nostræque orthodoxæ fidei a te traditione accepi, ut conservarem: Sancta quoque *octo universalia concilia*, id est, Nicenum, Constantinopolitanum, Ephesinum primum, Chalcedonense quartum quoque & sextum, item Constantinopolitanum & septimum, item Nicenum octavum quoque, item Costantinopolitanum,

Pontifex veram fide à majoribo acceptam vult tueri.

Servare doctrinã de Trinitate, Incarnatione, Aliosq; fidei articulos.

Concilia œcumenica Papa vult venerari.

(d) Reperitur in priore *Codice MSCto Vindobonensi* in suprema ora paginæ, in qua hoc caput scriptum, hæc epigraphe: *Incipit materia Reformationis cleri, conceptu in Concilio Constantiensi.*

tanum, usque ad unum apicem immutilata servare & pari honore & reverentia digna habere: Et quæ prædicaverunt & statuerunt, omnimode sequi & prædicare, quæque condemnaverunt, condemnare ore & corde: Diligentius autem & vivacius, quamdiu vixero, omnia *decreta canonica prædecessorum* Apostolicorum nostrorum Pontificum, quæcunque vel synodaliter statuerunt, & probata sunt, confirmare, & indiminuta servare, & sicut ab eis statuta sunt in sui vigoris stabilitate custodire, quæque vel quosque condemnaverunt vel abdicaverunt, simili sententia condemnare vel abdicare; *Disciplinam* & ritum *Ecclesiæ* sicut inveni, & à sanctis prædecessoribus meis canonice traditum reperi, quamdiu mihi vita comes fuerit, illibata custodire: Et indiminutas *res Ecclesiæ* conservare, neque alienare, seu in feudum aut censum vel emphyteosin dare quomodolibet, ex quacunque causa, ut indiminute custodiantur operam dare: Nihil de traditione, quam a probatissimis prædecessoribus meis traditam & servatam reperi, diminuere vel mutare, aut aliquam novitatem admittere: Sed ferventer, ut eorum vere discipulus & sequipeda, totis mentis meæ conatibus, quæ tradita canonice comperi, observare ac venerari: Si qua vero emerserint contra canonicam disciplinam, filiorum meorum, sanctæ Romanæ Ecclesiæ *Cardinalium*, (cum quorum consilio & consensu, directione & rememoratione ministerium meum geram, & peragam,) *consilio emendare*, aut patienter, excepta fidei aut Christianæ religionis gravi offensione, tua & beatissimi coapostoli tui Pauli patrocinante intercessione, tolerare, sacrosque canones & canonica instituta Pontificum, ut divina & cœlestia (*d*) mandata, Deo auxiliante custodire: Utpote *Deo* & tibi sciens *me redditurum de omnibus*, quæ profiteor, & quamdiu vixero, egero, vel omisero, districtam in divino judicio *rationem:* Cujus sanctissimæ sedi, divina dignatione, te patrocinante, præsideo, & vicem intercessionibus tuis adimpleo. Eris autem mihi in illa terribili die propitius hoc conanti & diligenter servare curanti. Adjutorium quoque ut præbeas obsecro, in hac corruptibili vita constituto. Ut irreprehensibilis appaream ante conspectum judicis omnium, Domini nostri JESU Christi, dum terribiliter de commissis advenerit judicare, ut facias me dextræ partis participem, & inter fideles discipulos ac successores tuos esse consortem. Hanc autem *professionem* meam, per notarium & Secretarium Sanctæ Romanæ Ecclesiæ me jubente scriptam, propria manu *subscripsi*, & tibi, beate Petre, & Apostolorum omnium Princeps, pura mente & devota *conscientia* super sanctum corpus & altare tuum sinceriter offero. Actum Romæ, mense, anno & indictione, quibus supra, præsentibus &c.

Decreta majorum observare debet Papa.

Disciplinam Ecclesiasticã tueri.

Ecclesiastica bona conservare.

Cardinalium consilium in emendatione audire.

Papa de omnibus Deo reddet rationem.

CAPUT III.

De gravibus & arduis per Papam non faciendis, nisi modo infra scripto, ut sequitur.

CUm *antiqui* & *laudabilis moris* fuerit, ut *majores Ecclesiæ causæ* per summum Pontificem *sine Cardinalium* Sanctæ Romanæ Ecclesiæ *consilio & assensu disponi non deberent:* Unde etiam cœtus Cardinalium in hac quasi possessione esse dignoscitur, quod eorum consilio sint per Romanos Pontifices ardua negotia pertractanda & terminanda: Ad quod etiam indicandum vetusti moris fuit, *assensum* ipsum *subscriptionibus declarare:* Ideo præsenti decreto, *morem ipsum laudabilem renovantes*, statuimus: Ut Romanus Pontifex *sine consensu* & subscriptione saltem majoris partis *Cardinalium* collegialiter facta,

Sine Cardinalium consensu nihil magni Papa unquam agere debuit.

Consensus Cardinalium in arduis Papæ negotiis subscriptione designando.

(*d*) In uno *Codice MSCto Vindobonensi* legitur *Ecclesiastica*, in altero, *cœlestia*.

Res fidei solus Papa non decernat.

facta, infra scripta de cetero *non disponat:* Ut, *causarum fidei decisiones*, sanctorum *canonisationes*, anni *Jubilæi* reductionem seu de novo *indictionem*, erectiones, exterminationes seu suppressiones, divisiones, subjectiones, uniones Ecclesiarum cathedralium, & monasteriorum, promotiones Cardinalium, privationes, translationes invitorum Patriarcharum, Archi-Episcoporum, Episcoporum & Abbatum, salvo jure constitutionum suorum ordinum, privilegiorum perpetuorum & realium novas concessiones, exemtionum hactenus per Romanos Pontifices Ecclesiis, monasteriis, collegiis, & aliis locis concessarum revocationes: (Exemtiones etiam novas & perpetuas Ecclesiis, monasteriis seu capitulis usque ad proximum futurum concilium non concedat sine causæ cognitione, & vocatis ordinariis. Quod tamen locum non habeat in Ecclesiis, monasteriis seu capitulis de novo ædificandis seu constituendis, quæ possit eximere.) (*e*) Exemtiones ante præsens schisma factas, alienationes bonorum, immobilium vel mobilium, pretiosorum, Ro. Ecclesiæ, vel aliarum Ecclesiarum, & aliorum locorum Ecclesiasticorum, & piorum, privilegia perpetua, immunitates censuum, & quorumcunque jurium, & proventuum perpetuarum remissiones seu dilationes, vicariatus, & rectoratus terrarum Ecclesiæ Romanæ, constitutiones, fœdera pacis, bella, legationes de latere, seu vicariorum & nunciorum, autoritate legatorum de latere fungentium, deputationes, & quæcunque ardua, seu pertinentia ad statum universalis Ecclesiæ: Decernentes, ut gesta præter vel contra formam præmissam sint nulla ipso jure, nec eis à catholicis in aliquo pareatur.

Vel fiat *prædicta constitutio* per modum *additionis ad professionem Bonifacii VIII.* supra proxime positam, mutatis verbis *in primam personam.* Et hoc forte esset honestius, quam per constitutionem.

Additamenta professionis aut juramenti Papalis.

Et posset *addi ad professionem* etiam quod sequitur, videlicet: Rectores ad regendum provincias vel civitates Ecclesiæ Romanæ, nisi Cardinales aut prælatos, non mittam: Vicariatum alicujus terræ Ecclesiæ, nisi ad triennium non concedam: Et ad custodiendum castra vel Rockas [*arces*] Ecclesiæ Romanæ non mittam aliquem consanguineum, vel affinem, nec aliquos alios ultra triennium duraturos.

Ad idem.

Discretio mater omnium virtutũ.

Consensus Cardinalium Pontifici necessarius.

Concilii consensus in majoribus rebus requiritur.

QUia decet Romanum Pontificem ministerium suum cum *discretione, quæ mater est omnium virtutum*, peragere, fratrumque suorum *Cardinalium* in magnis, & *Concilii generalis*, in majoribus, *consilio* & *consensu* uti: Intendens *sacrosancta generalis Constantiensis Synodus* Romanæ & aliarum Ecclesiarum, monasteriorum & aliorum locorum piorum futuris dispendiis, consideratione præteritorum, Ecclesiam Dei scandalizantium, obviare, *statuit, definit*, & *ordinat:* Quod deinceps ipse Romanus Pontifex sine *consilio & assensu generalis concilii* res, jura, reditus, possessiones, castra, civitates, villas, oppida, census, pensiones, canones, seu alia bona quæcunque, immobilia vel mobilia, pretiosa, Romanæ & aliarum Ecclesiarum, monasteriorum, & aliorum locorum Ecclesiasticorum prædictorum, in perpetuum, seu ad tempus magnum, quod intelligitur decem annorum, contra juris formam non alienet, nec impignoret, seu de novo infeudet, & in emphytheosin vel affictam assignet, nec pensiones, census aut canones Ecclesiarum, monasteriorum & locorum prædictorum remittat, aut ad solutionem eorum terminum ultra biennium pro-

Res à Papa non faciendæ sine consensu Concilii universalis.

(*e*) In *priori Protocollo* MSCto Vindobonensi non leguntur hæc, à voce *exemptiones*, usque ad, *dilationes*. In altero illo habentur inserta.

proroget, seu concedat, (*f*) erectiones, suppressiones, divisiones, subjectiones, uniones Ecclesiarum Cathedralium & Monasteriorũ, ac Prioratuũ, qui sunt principales dignitates, translationes invitorum Patriarcharũ, Archi-Episcoporum, Episcoporum seu Abbatum, salvo jure constitutionum, *non faciat* usque ad *proximum futurum concilium.*

Casus necessitatis non patitur legem.

Licet, ubi imminneret scandalum & periculum Ecclesiæ, expectando *celebrationem futuri proximi concilii generalis*, licitum sit Rom. Pontifici, cum consilio & consensu Cardinalium, seu majoris partis eorum, absque translatione facienda, de nimio scandalo hujusmodi providere.

Jubilæum non mutandum: Nisi in concilio.

A modo etiam *jubilæum*, seu plenam remissionem non mutet, sed perduret fixum *anno quinquagesimo*, ut aliàs fuit statutum. Nec mutari possit *nisi in Concilio generali.*

(*g*) Nec liceat etiam ipsi R6. Pontifici sanctorum *canonisationes*, *privilegiorum* perpetuorum & realium *novas concessiones*, exemptionum, hactenus per Romanos Pontifices Ecclesiis, Monasteriis, Collegiis, & aliis locis concessarum revocationem, sine consilio & consensu ac subscriptione dictorum Cardinalium, seu majoris partis eorundem, facere seu expedire. *Exemptiones* etiam *novas* & perpetuas Ecclesiis, monasteriis seu Capitulis usque ad proximum futurum Concilium *non concedat* sine causæ cognitione, vocatis ordinariis. Quod tamen locum non habeat in Ecclesiis, monasteriis, seu capitulis, de novo ædificandis, seu constituendis quæ possit eximere.

Et si contrarium præmissorum, vel eorum cujuslibet fecerit, id sit ipso facto, *autoritate hujus sanctæ Synodi*, irritum & inane.

Caput IV.

Contra Simoniacos.

Conciliũ Constantiense Simoniã vult abolitam.

Contra *labem Simoniacæ pestis*, qua decor Ecclesiæ plurimum denigratur, multa remedia per Apostolicos Patres & sacra concilia hactenus excogitata fuerunt, salubriterque provisa. Quæ tamen temporum excrescente malitia, ut experientia docet, optatum non attulerunt effectum. Volentes igitur, quantum possumus, *radicem pestis hujus* penitus extirpare, hoc *perpetuo decreto statuimus:* Quod *quicunque* de cætero *Ecclesiasticus*, cujuscunque status, gradus, ordinis, seu præeminentiæ fuerit, etiamsi Episcopali, Archi-Episcopali, Patriarchatus vel Cardinalatus dignitate præfulgeat, qui de cætero *simoniæ crimen*, in Romana curia, vel extra, *sive dando*, *sive reciendo*, sive *promittendo*, sive *paciscendo*, (*h*) sive *mediando*, commiserit, ipso facto omni dignitate, officio Ecclesiastico, & omnibus beneficiis suis perpetuo sit privatus: Possintque beneficia eorum tanquam vacantia libere conferri & impetrari.

Simoniaci suis muneribus indigni, eisque privandi.

Prælati vero, qui ad custodiam gregis, *ad purgandam vitiis Ecclesiam Dei* positi sunt, cogitent, quantum excedant, si in *executione hujus decreti* negligentes extiterint.

Decretum Conc. Cõst. contra Simoniacos, exequendum.

Et nihilominus, ne talis *negligentia* sine *debita pœna* pertranseat, cum ex hoc videantur aliena crimina sua facere, statuimus: Ut de tali negligentia contra *Prælatos* hujusmodi procedi possit & debeat, etiam ad privationem, si qualitas

Pœnæ illorum, qui Simoniacis connivent.

(*f*) In *priori Protocollo MSCto Vindobonensi* non habentur quæ hic leguntur, a voce *erectiones* usque ad, *dignitates*. Sed in altero sunt expressa.

(*g*) In priore *Reformatorii Const. Protocollo*, MSCto Vindobon. non lecta, quæ sequuntur: *Nec liceat*, usq; ad, *possit eximere*. In hoc *posteriore Protocollo* inserta sunt.

(*h*) In priori Protocollo, MSC. Vind. non habentur hæc, *sive paciscendo*, sed in posteriori.

litas negligentiæ id expoſcat: *Laici* autem, qui in hujusmodi culpabiles fuerint, excomunicationem incurrant ipſo jure.

Caput V.

De numero & modo aſſumtionis Cardinalium:

Et de qualitate aſſumendorum.

Cardinales non ſint plures quã XVIII.

QUia plerumque *multitudo ſuperflua confuſionem inducere conſuevit*, ſtatuimus: Ut deinceps *numerus Cardinalium* ſanctæ Romanæ Eccleſiæ *decem & octo* non excedat.

Cardinales ſint viri docti & prudentes.

Sint autem viri in *ſcientia, moribus*, & *rerum experientia* excellentes, qui non minores ſint *triginta annis*, *Doctores* in Theologia, (*i*) ſaltem quatuor, reliqui in jure canonico, vel civili, præter admodum paucos, qui forte de ſtirpe regia vel ducali aut magni Principis oriundi exiſtant, non (k) affines ſeu attinentes alicujus Cardinalis viventis usque ad quartum gradum incluſive, nec de eadem ſtirpe, familia, domo, vel agnatione, nec de uno ordine religionis ultra unum, non illegitime nati, non corpore vitiati, non alicujus criminis aut infamiæ nota aſperſi.

Charactères legitimorũ Cardinalium

ex ſententia Conc. Conſt.

Nec fiat eorum *electio* per auricularia vota ſolummodo. Sed illi ſolum eligi & aſſumi poſſint, in quos, *facto vero ſcrutinio ac publicato*, majorem partem Cardinalium *per ſubſcriptionem manus* propriæ conſtiterit collegialiter conſenſiſſe. Et apoſtolicæ literæ conficiantur exinde.

Electio Cardinalium qualis eſſe debeat.

Qui etiam *modus ſcrutinii* & ſubſcriptionis obſervetur, quando aliquis ex Cardinalibus, vel alius, in *Epiſcopum Cardinalem* aſſumetur.

Et aliter celebrata *Cardinalium aſſumtio* ipſo jure non ſubſiſtat.

Caput VI.

Quod Papa etiam pro alio crimine, quam hæreſi, ſi notorie ſcandalizat Eccleſiam, poſſit deponi.

Sancta vita ſummum Pontificis decus.

Romanus Pontifex quanto cæteris Eccleſiæ rectoribus præſidere, tanto debet *ſanctiore vita* & *clariori fama* fulgere. Si enim, qui ſingulis plebibus *ſuperintendunt*, tales eſſe debent, ut eorum exiſtimatione populus grex dicatur, qualem ſe exhibere debet, qui non uni populo, ſed univerſis, nec ſolum populis, ſed ipſis paſtoribus paſtor eſt poſitus? Dicente Domino Petro: *Et tu aliquando converſus confirma fratres tuos.*

Papa ſanctiſsimus ex officio. Pontifex

Exhibeat ſe ergo *præſul* ille, qui jam *ſanctiſsimus ex officio* nominatur, ſicut *nomine*, ita *re ſanctum.*

Conſideret, quam difficile ſit tenere ſedem Petri: cum non ſolum *populis* ſed *prælatis* ſit poſitus in *exemplum.*

exemplũ omnibus eſto.

Docere debet non ſolum diſcipulos, ſed etiam *magiſtros.* Elevet lumen ſuum in excelſo, qui *lumina cætera debet illuſtrare.* Sit ſol in mundo, qui in Eccleſia populos ut tenebras, prælatos ut ſtellas purgare debet, illuminare atque perficere.

Doceat magiſtros. Illuminet Eccleſia lumina.

Teneat *mentem* ſuam *mundiſsimam*, ſemperque Chriſto conjunctam in cœleſtibus, cujus vicariatus officio fungitur in terris.

Mente ſit mundiſsima.

Si autem, quod abſit, *vita* & *moribus* ſit *perverſus*, ſi oblitus dignitatis ſuæ, & relictis cœleſtibus *converſus ad terrena*, damna-

Papa corruptus ſeverius puniendus.

(*i*) In poſteriori hoc Protocollo, *MSCto Vindobon.* quæ inſerta habentur verba, *ſaltem quatuor, reliqui*, in priori non comparent.

(*k*) In priori Protocollo *MSCto* erat, *conſangvinei.*

damnabilibus & capitalibus criminibus se immisceat: Consideret, quod lucifer, quanto cæteris angelis clarior & perfectior est creatus, tanto ex perversitate sua *severius* & irreparabilius est *punitus*.

Non in ultimum judicium omnia differuntur à Deo. Ecclesia per concilia generalia agit.

Nec confidat, solum divino ac *ultimo judicio* reservari. Quod tamen quanto certius atque severius, tanto debet humilius, trepidantiusque formidari. Quia *& per Ecclesiam*, quæ corpus est Christi, *Deus judicia sua* etiam in hoc mundo *exercet*, & *concilia generalia universalem Ecclesiam repræsentant.*

Unde super præmissis salubriter providere cupientes, *hoc decreto perpetuo declaramus* ac definimus: Quod summus Pontifex non solum de *hæresi*, sed & de *simonia*, & quocunque *alio crimine*, Ecclesiam Dei notorie scandalizante, de quo solenniter monitus, saltem per annum post monitionem incorrigibilis appareat, possit *per generale concilium puniri*, etiam *per depositionem à papatu.*

Pontificē Simoniacum vel alio crimine notatū per Conciliū generale esse plectendum.

Monitione vero non qualibet, sed per duas partes Cardinalium collegialiter, sive per tria (*l*) concilia provincialia diversarum trium nationum, sub diversis tribus Regibus existentium, moneatur. (*m*) Teneanturque sic monentes *monitionem* suam infrà mensem *solenniter publicare.*

Admonēdum prius Papā esse per Cardinales aut Concilia provincialia.

Caput VII.

De Reformatione curiæ & Officialium

ejus, Rubrica.

De literis Papalibus expediendis.

Litera Apostolica tam *de gratia*, quam *de justitia*, expediantur per cancellariam. Nec eis adhibeatur fides in judicio vel extra, nisi *in cancellaria* sint expeditæ. Quod appareat per *signa consueta.* Exceptis duntaxat concernentibus negotia cameræ Apostolicæ, ut consuetum est. Quæ tamen judicentur in eadem camera, & signa habeant consueta.

De bullis Papalibus.

Item quod in *bullis*, ubi dicitur, *de consilio fratrum* &c. debeat esse *subscriptio* saltem *trium priorum collegii*, ad probandum consilium.

De Protonotariis curiæ Ro.

Protonotarii de cætero assumantur de consensu majoris partis Cardinalium. Et sint *Magistri* in sacra pagina, vel *doctores* in jure, aut *illustres*, & *in sacris ordinibus* constituti, & non ultra *septem*, sicut antiquitus consueverunt.

De Auditoribus Cameræ Ro.

Auditores etiam assumantur de consilio (*n*) majoris partis Cardinalium; (*o*) Et qui per (*p*) biennium in aliquo studio generali, vel in curia per annum, post doctoratum *legerunt.* Qui habeant (*q*) *stipendia de camera* vel de be-

(*l*) In priori Protocollo, *MSC. Vindobon.* positum: *per tria diversa Concilia diversarum trium Nationum.*

(*m*) In priori Protocollo inserta hæc: *Monitio canonica ac sufficiens intelligatur.*

(*n*) In Priore Protocollo: *consensu.* Additurque expresse *in margine* prioris illius Protocolli, quod constitutionis formula prior paulum sit mutanda. Qui modus præscribitur hoc suffragio: *Placet. Cum hic vero dicitur*, de consensu, *dicatur*, de consilio.

(*o*) In priore Protocollo hæc erant inserta verba: *Et sint Magistri in sacra pagina*, quæ hic expuncta.

(*p*) In priori constitutione erat *triennium.* Verùm suffragiis effectum in Reformatorio, ut substitueretur in hac reformata Constitutione, juxta tenorem novi Protocolli, *biennium.* Marginalis nota in priori Protocollo sic continuatur ad præsentem constitutionem: *Et loco triennii ponatur biennium, vel annus in curia. Et quod examinentur etiam cum assumuntur.*

(*q*) Neque de hoc stipendio in priori constitutione quicquam. Ast suffragia, in margine prioris Protocolli posita, addere jusserunt, his verbis: *Et quod habeant stipendia de camera vel de beneficio, conjunctim vel divisim, florenos CCC.*

de beneficiis, conjunctim vel divisim, florenos CCC. Et quod morentur ad liberatam Papæ, (r) non in domibus Cardinalium. Nec sint ultra *sedecim*, nec pauciores duodecim. Et jurent, non recipere post sententias esculenta & potulenta ultra valorem trium florenorum. (s) Nec stent cum Cardinalibus. (t) Unde & sint de diversis provinciis, & in sacris ordinibus constituti.

De Scriptoribus literarum Papalium.

Scriptores literarum Apostolicarum & pœnitentiariæ assumantur cum diligenti *examine*, & non nisi prius facta reductione ad numerum consuetum. (u) Et quod *non* sint *conjugati*. Et non locent, sed per se exerceant, cessante infirmitate. Et non habeant duplex officium scriptoriæ. Et quod hujusmodi officium non vendatur, non donetur, nec permutetur, nisi pro simili officio.

De Abbreviatoribus.

Abbreviatores etiam assumantur cum *examine*, & non ultra numerum *viginti quinque*. Et (x) *Auditor, sigillator ac Registrator, scriptores & procuratores pœnitentiariæ* sint *sacerdotes*, cum secreta delicta debeant audire.

De Pœnitentiariæ ministris.

Clerici cameræ non sint ultra *sex*, & *Doctores* & *Licentiati* in jure. (y) Et de diversis Nationibus.

Clerici Cameræ sint Juris Consulti.

Corrector literarum Apostolicarum sit *unicus*, & *Doctor* (z) famosus & excellens, qui ad minus legerit per tres annos in studio generali, & bene expertus in in cancellaria.

Auditor contradictariarum sit etiam *unicus*, & excellens *Doctor*, & assumatur de rota

(r) Neque de his in priori Deliberatione. *Vota* autem ulteriora huc respexerunt, in margine prioris Protocolli: *Et non quod stent cum Cardinalibus in domo.*

(s) Hæc quidem etiam in priori formula non habentur, desumpta tamen apparent ex suffragiis adjectis, jamque notatis.

(t) Et hæc à priori Constitutione aberant: Per suffragia vero sunt postea addita, uti in margine prioris Protocolli monetur: *Et quod sint de diversis provinciis, & in sacris ordinibus constituti.* Sic tota prior constitutio, quæ in priore Protocollo, MSCti Vindob. habetur, hæc fuerat: *Auditores etiam assumantur de consensu majoris partis Cardinalium, & sint Magistri in sacra pagina, & qui per triennium post doctoratum legerint in aliquo studio generali: Et quidem morentur ad liberatam Papæ, nec sint ultra sedecim, nec pauciores duodecim. Et jurent non accipere post sententias esculenta & potulenta ultra valorem trium florenorum.*

(u) In priore Constitutione sequentia illa omnia non extiterunt: Sed pro illis hæc lecta sunt verba, uti in priore Protocollo exhibentur: *Qui erat centum & unus quoad grossam, & viginti natuor quoad pœnitentiariam.* Verum secuta uberiora suffragia mutationem pararunt. Habentur illa suffragia in marginè prioris laudati Protocolli, his verbis: *Placet ille numerus uterque, quod sint centum quoad grossam, & 24. quoad pœnitentiariam. Nec possint vendi. Nec sint conjugati. Nec scribant per alium, nisi causa necessitatis vel infirmitatis. Quæ necessitas declaretur per Vice Cancellarium, vel Pœnitentiarium. Et quod unus scriptor duo officia non habeat.*

(x) Neq; hæc prima tria officiorum nomina in priori deliberatione aut Protocollo comparent. Per *vota* autem, priori Protocollo attexta, accessere. Quæ suffragia sunt: *Et addatur: Item de Auditore, sigillatore & Registratore.* Hinc adeo renovata constitutio est locupletata.

(y) Desiderantur in priore statuto hæc: *& de diversis Nationibus.* Sunt autem ex additis in priore protocollo votis desumta: *Placet, nisi reperiatur alius numerus ordinatus ante schisma: Et in fine addatur: Quod sint de diversis nationibus.*

(z) Aucta & hæc constitutio, addita aliqua circumstantia. In priore namque propositione dictum: *& Doctor excellens in studio generali &c.*

rota (*aa*) vel aliunde, dummodo sit excellens in scientia juris.

Et idem de *Auditore Cameræ*. Sit Doctor probatus, bonæ scientiæ & expertus in curia.

Acoliti. *Accoliti* non sint ultra sex, (*bb*) & honesti viri.

Subdiaconus. *Subdiaconus* sit unicus, & magister in Theologia, vel Doctor in jure: Attento, quod magnæ causæ illi comitti consueverunt.

Capellani commensales. *Capellani commensales* stent in domo Papæ, & ad liberatam, & incedant in habitu honesto. *Capellani* vero qui dicuntur *honoris*, revocentur, (*cc*) nisi sint Doctores in sacra pagina, vel in jure & seculares. Et declaretur de novo quod non sint exempti, etiamsi habeant processus, & quod de cætero non dentur eis processus de camera.

Capellani honoris in curia Ro.

Referendarii. *Referendarii* non sint ultra sex, homines excellentes, in jure famosi, & integerrimæ vitæ. Et assumantur de consilio (*dd*) majoris partis Cardinalium, (*ee*) & de omni natione.

Pœnitentiarii. *Pœnitentiarii* sint Magistri in sacra pagina, vel bene periti & digni magisteriio, ætatis XL annorum ad minus. Et distribuantur per linguas secundum exigentiam. Et nihil exigant, vel ad dandum alliciant directe vel indirecte pro confessionibus, & sub pœna. (*ff*) Sed a Camera habeant stipendia consueta, & teneantur prædicare populo diebus consuetis, sc. dominicis & festivis.

In *audientia* contradictoriarum, & sacri palatii Apostolici causarum, serventur ad unguem *constitutiones Johannis XXII.* Et similiter in *cancellaria*. Et addantur pœnæ graviores. (*gg*)

Registrorum in curia Ro. instructio. In *registris literarum Apostolicarum* nihil recipiatur *nisi pro literis taxatis*. Et pro illis *nihil ultra taxam*. Et fiat expeditio *cito*, & sub pœna. Et scriptores etiam habeant *salarium* de publico, sicut

(*aa*) Ex suffragiis locupletatum & hoc decretum. In priori namque deliberatione hæc sunt addita: *Placet: & in fine addatur: Vel aliunde, dummodo sit excellens in scientia juris.* Id quod in posteriori hac constitutione ex decreto additum deprehenditur.

(*bb*) Et hæc constitutio per nova suffragia emendata. In priori namque protocollo hæc habentur: *Accoliti non sint ultra octo, & honesti viri. Placet quod sint sex.*

(*cc*) Hæc quoque constitutio aliter novâ deliberatione est instructa. Erat enim prius hæc: *Capellani, qui dicuntur honoris, revocentur, vel saltem privilegia ipsorum, etiamsi habent processus; quia sub illa specie prætendunt eximi à prælatis. Placet* articulus usque ad, vel saltem. *Quod tollantur prima verba usque ad finem. Et addatur: Nisi sint magistri in Theologia vel in jure seculares, nec sint exempti, etiamsi habeant processus in camera, qui eximant.*

(*dd*) In priori protocollo lectum, *cum consensu*, quod, ut supra, in altera deliberatione mutatum.

(*ee*) Ultima hæc verba in priori constitutionum delineatione non habentur. Addita autem in hoc repetito examine ad exemplum aliarum superiorum constitutionum, quibus eadem circumstantia adjecta, de viris talismodi, in curia ministrantibus, *ex omni natione* legendis.

(*ff*) Adjecta & huic decreto post novam considerationem hæc appendix, quæ in primo protocollo non habetur. Clauditur autem prior constitutio his verbis: *sub pœna privationis.* Quæ posterior vocula in altera emendatione expuncta, pœnâ non determinata.

(*gg*) In priori Protocollo Reformatorii integer habetur paragraphus, in hac altera constitutionum revisione omissus. Est autem hic: *Commissum est quatuor* (viris) *uni pro natione, qui examinent constitutiones prædictas. Et ut hic legantur nomina, sunt: Episcopus Merseburgensis, Auditor Cameræ, Abbas Vandingensis, & Robertus Appelton.*

ficut consueverunt. In *registro supplicationum* nihil recipiatur pro supplicationibus registrandis. Et si in manu registratoris perdatur supplicatio, nihil recipiat de sumto. Et fiat expeditio (*hh*) cito, & votiva, sub pœna.

Taxæ pœnitentiariæ. Et fiat *reductio taxæ literarum Apostolicarum* & *sacræ pœnitentiariæ* ad solitum, (*ii*) juxta constitutiones,

Promotiones ad ordines in curia prohibentur. Item nullatenus teneantur *promotiones ad ordines in curia*, nisi pro officialib' curiæ, qui continue resederint in curia per annum cum bono examine, maxime de statu; nisi sint forte aliqui, habentes literas dimissorias a suis ordinariis, vel promoti in curia ad episcopatus vel abbatias (*kk*) vel ad beneficia requirentia ordinem. Et nihil recipiatur de ordinibus. Nec dentur dimissoriæ in curia: Vel extra quatuor tempora fiat. Nec dentur duo vel plures sacri ordines simul, nisi promotis ad episcopatus vel abbatias, vel pro literis aliquid detur in curia vel extra.

Officialium Curiæ Romanæ habitus. *Officiales curiæ*, ut scriptores, abbreviatores, procuratores, advocati, &c. incedant induti (*ll*) daphardis, ut antiquitus consueverunt, & sub pœna.

Linguarum Orientalium studium in Ro. curia esse colendum. Item *in curia* (*mm*) *Romana continue vigeat* studium tam in *Theologia*, quam in *utroq; jure*, & *in literis latinis*, *Græcis*, *Hebræis*, *Arabicis* & *Chaldæis*, juxta Clementinam. Et habeant stipendium de camera. (*nn*) Et provideatur de executione.

Item habeant (*oo*) malischalkum nobilem, justum, & honestum, nec capientem lucra ignominiosa, sicut aliquando consueverunt.

Clerici ceremoniarum in Curia Ro. Item *Clerici capellæ* (*pp*) sive ceremoniarum sint tantum duo, qui sint presbyteri, & probi ac experti in ceremoniis curiæ, & qui cognoscant prælatos, & sciant locare in sessionibus, satis literati, & diligentes in officio suo.

(*hh*) In priori Protocollo legitur *fiat expeditio cita vel votiva*, quod an idem sit cum eo, quod in renovata hac constitutione dicitur *cito & votiva*, viderint alii. Ni sit differentia amanuensis antiqui calamo tribuenda. Margini præterea prioris illius Protocolli additur hoc suffragium: *Placet. Sed quoad seculares notarios se informent illi quatuor, de quibus in C. XVII.* Videtur hoc suffragium respicere quatuor illos deputatos nationum, qui paulo ante sub canone XVII. hujus *rubricæ*, *De reformatione curiæ Ro.* in priori illo Protocollo sunt nominati. Ut videre est supra, in notis, sub charactere. [gg]

(*ii*) Ultima hæc verba in priore protocollo non comparent.

(*kk*) In prioris Consultationis suffragiis hic addidur: *Placet. Et in fine addatur: Vel beneficia requirentia ordinem. Ut nihil omnino recipiatur pro ordinibus, sub pœna. Et non dentur dimissoriæ in curia, nec extra quatuor tempora fiant. Nec dentur per duos vel per plures sacra eidem simul, vel eadem die, nisi promotis ad Episcopatus vel abbatias. Nec pro literis aliquid detur in curia vel extra.* Hinc aliam formam constitutio nacta.

(*ll*) Quod in priore codice legitur *tabardis*, idem utique cum illo posterioris Codicis *daphardis*.

(*mm*) In priore protocollo legitur *in curia quotidie vigeat studium tam in artibus quam in Theologia, quam etiam in utroq; jure.* In ceteris par est omnino quoad omnes linguas constitutio.

(*nn*) Clausula notabilis, quæ in priore Constitutione non extitit, in reformata alterius Protocolli est adjecta: *Et provideatur de executione.* Quod monitum non magis ad salarium, quàm præcipue *ad linguarum illarum orientalium Professionem* spectabit.

(*oo*) In utroque Codice MSCto legitur *malischalkum*.

(*pp*) In priori Codice scriptum *alias*.

(*qq*) Magister hospitii sit miles grandævus, nobilis & Deo devotus, qui sciat honorare dominos & nobiles venientes ad curiam, & tenere ordinatam domum, quoad laicos, cum omni honestate.

(*rr*) Examinator curiæ sit prælatus honestus, doctor in jure, rigidus, qui non quærat lucra, sed qui diligenter & fideliter examinet beneficiandos, ne promoveantur indigni, per se, & non per substitutum, & schedulam examinis subscribat manu sua. Et detur sibi juramentum duplex, unum super diligentia examinis, alterum, quod non recipiat pro examine ultra certam taxam. Et caveatur ne unus pro alio examinari se faciat. De taxa videri debet constitutio, si aliquid de hac caveatur. Sin autem, detur pro quolibet unus Carlinus, quorum decem faciunt unum ducatum.

(*ss*) De amplius non faciendo doctores bullatos. Eo multos perduxit *ambitio*, ut qui primas cupiant cathedras in synagogis, *gradum scientiæ* non labo-

(*qq*) Tota hæc constitutio habetur & in priore Protocollo, sed locus leviter est mutatus. Additur nihilominus in priore illo Protocollo: *Placet: & remaneat in dispositione Papæ de sua familia.*

(*rr*) Hæc constitutio in priore Deliberatione hanc habuit formam: *Examinator curiæ sit prælatus honestus, qui non quærat lucra, sed qui diligenter & fideliter examinet beneficiandos, ne promoveantur indigni. Et detur sibi juramentum duplex, unum super diligentia examinis, aliud, quod non recipiat pro examine ultra certam taxam.* Additur porro huic decreto hoc suffragium: *Placet, & addatur, quod sit doctor; & quod adhibeatur diligens cautela in examinando, ne unus faciat examinari pro alio, & quod examinator per se ipsum & non per alium exerceat officium, & subscribat se propria manu in cedula: Et quod de taxa solutionis examinis recipiantur quæstiones, & si reperiantur diversæ taxæ, recipiantur minores.*

(*ss*) In serie decretorum in priore Protocollo habentur sequentia: *Item quod deinceps non fiant Magistri vel Doctores per bullam Apostolicam sine examine, sed in studiis generalibus per rigorem examinis. Et si studium fiat in curia, sicut ordinatum est, possint fieri Doctores, sicut in aliis studiis generalibus. Sed fiat examen per Cancellarium studii, quem Papa deputabit, adhibita solennitate magistrorum & doctorum in examine, sicut in aliis studiis est de more.* Quod decretum *De doctoribus Bullatis per Papam non faciendis*, hoc verborum tenore in redintegrato altero Protocollo plane est omissum. Nihilominus tamen, quia in priore illo Protocollo paulo post inter Constitutiones reliquas distincte adhuc semel & fusius de eadem agitur materia, hoc expresso titulo: *Quod per sedem Apostolicam nulli detur facultas de cetero Licentiandi aliquos ad gradum magisterii seu doctoratus: Rubrica*: Verosimile hinc fit, in Protocollo repetito priorem *illam brevem de Bullatis doctoribus constitutionem* ideo plane esse omissam, quod *uberior Constitutio* esset præsens. Etsi autem *plenior* illa *de Bullatis Doctoribus constitutio* alium in priore Protocollo habeat locum, in altero tamen huc est translata, in locum prioris decreti brevis. Quem locum, in perfectiori posteriori Protocollo obvium, mutare nefas putavimus. Ceterum, in ipsa hac pleniore Constitutione in utroque Codice levis est differentia. Scilicet in medio ad hæc: *multiplicatio magistrorum*, additur in priore, & *Doctorum*. Deinde, quando similiter in priore Codice erat scriptum: *Volentes igitur huic morbo salubriter providere, statuimus*, &c. in posteriori Codice ac Constitutione nude dicitur, *statuimus*. Nec non in fine Decreti in primo Protocollo additur: *Et idem intelligatur etiam de doctoribus secularibus.* Quæ appendix in posteriori consultatione non reperitur, quod superioribus jam contineatur.

labore & studio per scientiam quærant, sed *à summo Pontifice per ambitionem impetrent*, cupientesque vocari Rabbi, satis habeant, si *per bullam Apostolicam* magisterii sui signum valeant ostentare. Ex quo *contemtibilis multiplicatio magistrorum* exoritur, scientiæ margarita vilescit, & *sermo Dei, ex ore prolatus ignorantium*, populi indevotione contemnitur. Statuimus, ut nec legatis, nec nunciis Apostolicis, seu generalibus ordinum, aut aliàs cuicunque personæ præter *Cancellarios, in generalibus Studiis* ordinatos, detur per sedem Apostolicam facultas aliquos ad gradum magisterii seu doctoratus in quacunque facultate de cætero licentiandi vel assumendi. In *curia* vero *Romana, quæ privilegium studii generalis censetur habere*, ita demum ad gradum prædictum licentiari & assumi possint, si in studio dictæ curiæ cursum consuetum auditionis & lectionis, repetitionum & disputationum, in illa facultate perfecerint. Vel, si extra curiam, in aliquo studio generali. De quo, & *eorum sufficientia in vita & moribus*, ejusdem studii Cancellarii, & doctores seu Magistri facultatis, per suas autenticas literas præstent sufficiens documentum. Et tunc *non per bullam*, seu commissionem specialem, sed aliàs per consuetos officiales & Doctores Studii dictæ curiæ, cum *rigoroso* etiam *examine*, tales etiam ad *licentiam* vel *doctoratum* seu magistratum assumantur.

Doctores bullati olim multi à Papa creati.

In contemptum gradus & eruditionis.

Cancellarii in Academiis jus habent promovendi.

Curia Romana habet rationem Academiæ.

Promotiones doctorum legitimas in curia etiam Ro. posse institui.

Aliter autem *licentia* vel *assumtio* hujusmodi *per bullam*, commissionem, seu facultatem Apostolicam facta, non valeat: *Nec* recipientes, *Licentiati, Doctores* aut *Magistri* de cætero *reputentur*.

[tt] Item quod *officiales curiæ Romanæ* non permittantur publice nutrire concubinas, ludere ad taxillos, aut alias dissolutiones facere, sed sint disciplinati moribus, verbis & exemplis, sic quod *curia sit speculum sanctitatis* & norma. Alioquin absque dissimulatione officiis suis priventur, si moniti non desistant.

Bullati Doctores in curia Ro. promoti, non habendi pro Doctoribus.

De *sessionibus* [uu] & locis ordinandis *in curia Romana*. Disputatum fuit de *loco protonotariorum*. Et auditis votis inventum fuit, quod fuerint vota XXIX. Et concordarunt in hoc, quod extra curiam protonotarii non præcedant prælatos. In curia vero protonotarii, si sint in exercitio sui officii, præcedant; Si autem non sint in exercitio officii sui, tunc X vota fuerunt, quod adhuc servaretur mos antiqvus. Reliqui dicebant, quod prælati præcedant.

De Protonotariorum autoritate in Curia Ro.

Circa constitutiones Johannis Papæ XXII. *quoad audientiam rotæ* videndo, addenda infra scripta, quoad *cappam*, & *rochetum*, portandum semper in publico per *auditores*, locum habeant, quando vadunt ad rotam vel audientiam, vel consilia, seu missas & officia alia papalia, vel exequias & sermones, & alios actus in curia publicos. Item quando (xx) vadunt equitando in curiam post Papam vel dominos Cardinales.

Auditorum in Audientia rotæ habitu.

Hæc

(tt) Tota hæc constitutio de Concubinariis in aula Romana, in priore Protocollo non exhibetur. Huic porro decreto in *Codice MSCto atque Protocollo posteriore* subjuncta sunt nonnulla *monita Cardinalis Pisani de Gratiis & provisionibus*, quod eruditis isthæc debeantur beneficia. Hæc verò particularia Cardinalis monita supra in Præfatione jam exhibuimus. Neque in priore Protocollo comparent. Etsi summa eorum videatur inter reliquas Constitutiones postremo attexi in priore Protocollo, ut mox patebit.

(uu) In priore Protocollo nude scriptum, *de Sessionibus ordinandis* &c. In margine verò, ubi in decreto monetur quod vota fuerint collecta, & auditi diversum sentientes in Reformatorio, additur tempus illius deliberationis. *Hi sunt deliberati die Sabbati, Septimo septembris.* Quod ad annum 15. vel 16. pertinebit.

(xx) In priori Protocollo alia clausula cum censura: *Item in exequitando in curia post Papam vel Cardinales. Placet, dummodo non sit tempus pluviosum vel aliàs lutosum, quod eis non possint uti.* Ex quo suffragio nova illa emendata constitutio.

Hæc tamen intelligenda sunt dum non est tempus pluviosum, aut lutosum, quod eis uti non possint.

Item, quod *auditores* non sint familiares Dominorum Cardinalium, nec debeant ad eorum expensas morari etiam extra Cardinalium Domus.

Quod *causæ auditorum* vel notariorum suorum vel advocatorum aut procuratorum *non committantur auditoribus* nisi de utriusque partis assensu.

Quod *causam non audiant, in qua scienter consilium dederunt*, nisi de consensu utriusque partis hoc scientis.

Quod esculenta & potulenta vel *propinas*, post sententias tantum mera liberalitate oblata, non *fraudulenter recipere* valeant, prout consvetum est hactenus, licet non dicatur in constitutionibus. (*yy*) Et non recipiant ultra quam superius in una constitutione fuerat expressum.

De Notariis.

Quoad notarios quatuor, auditoris &c. addendum videtur, quod duos eligat auditor, alios vero Cancellarius (*zz*) Et in manus Camerarii jurent in camera auditor & notarii.

Quod de dictis (*aaa*) notariis auditor non teneat in domo nisi unum, pro commissionibus recipiendis. Et faciat inter notarios distributiones causarum more solito.

Quod *notarii* non scribant per alios, nisi in casu infirmitatis, & tunc per aliú consocium, & non per substitutum.

Quod officium *notarii audientiæ rotæ*, & *notarii audientiæ cameræ*, sive auditorum, non possint per eundem haberi simul: Nec unus notarius coram duobus auditoribus scribere in causis: Nec possint notarii Dominorum cardinalium esse in Rota ad scribendum coram auditore.

Quod *notarii examinentur* per Vicecancellarium præsente Decano, & duobus de antiquioribus rotæ. Et approbati per eos admittantur tantum.

Quod notarii in *faciendo registra non extendant* in registro aliquod *instrumendum* procurationis, vel aliud, vel citationem, inhibitionem, vel earum executionem, nisi semel tantum. Et alibi in registro referant se ad illud primo extensum. Et in executione, seu relatione executionis, citationis & inhibitionis, similiter. *Nec faciant proœmium* in productione instrumenti, in quo interserant tenorem vel partem tenoris, &c. sed dicant, *cujus tenor infra sequitur.*

Quod auditores non consulant scienter in causis in rota vertentibus, vel quæ verti sperantur, (*bbb*) pro consanguineis usque ad tertium gradum, vel etiam pro Ecclesiis, in quibus hujusmodi consanguinei sunt beneficiati, & tunc exeant rotam.

Quod *auditores* vel *notarii* causas non sollicitent seu procurent in rota, etiam pro consanguineis vel aliis.

Quod *auditores*, pronunciantes male appellatum & bene processum per aliquem in curia, in casu, in quo de jure fienda esset remissio, remittant ad judicem à quo.

Quod citationem & inhibitionem faciant in eadem litera, & pro uno taxentur.

Quod non sint veloces ad inhibendum vel absolvendum ad cautelam in causis de curia tantum. CAP.

(*yy*) In priori Protocollo hoc ponitur in fine suffragium: *Placet, dum non ultra quam constitutum est supra capite IV.* Unde natum novæ constitutionis augmentum. Vid. supra. f. 598. lin. 7.

(*zz*) In priori Consultatione de Camerario quid erat monitum, his verbis: *Vel unum Cancellarius & alium Camerarius, in cujus manibus jurent in Camera auditor & notarii.* Quibus sequens censura addita: *Placet quod tollatur de Camerario, quia non est de antiqua consuetudine.* Hinc constitutionis illa mutatio subnata.

(*aaa*) In priori protocollo dicitur: *quatuor notariis.*

(*bbb*) In priori Consultatione dictum erat: *nisi pro consanguineis tertii gradus, vel Ecclesiis in quibus sunt beneficiati, & tunc exeant rotam.* Addita sententia: *Placet, usque ad tertium gradum pro consanguineis.* Hinc mutatio facta.

Caput VIII.

De spoliis prælatorum, de procurationibus, de fructibus medii temporis, per Papam nec inferiores Prælatos capiendis. Rubrica.

DUdum fuit provide dispositum, quod *non reservarentur* de cætero *spolia Prælatorum ac clericorum decedentium*, nec fructus medii temporis Ecclesiarum seu beneficiorum vacantium, nec procurationes, quæ ratione visitationis debentur Episcopis & aliis prælatis.

Bona Prælatorum defunctorum non esse diripienda aut Ecclesiis subducenda.

Verum, quod dictæ dispositiones hactenus non fuerint plene observatæ, & à nonnullis possint in dubium revocari, an fuerint personales vel perpetuæ, volentes Ecclesiarum ac prælatorum dispendiis providere, declaramus, dispositiones ipsas fuisse & esse perpetuas, & per quoscunque summos Pontifices inviolabiliter observandas. Et nihilominus de novo statuimus.

Et bonum forte est, adjicere pœnam, ut scilicet tamdiu *curia Romana quoad officia sua remaneat suspensa*, donec per summum Pontificem hujusmodi *spolia* fuerint plenarie *restituta*. Dictâ vero *suspensione* durante, officia sua exercentes *excommunicationis* sententiam incurrant ipso facto.

Nec spolia, quæ etiam inferioribus prælatis penitus interdicimus, nec *fructus* aut proventus, qui vacantibus Ecclesiis, monasteriis, aut quibuscunq; dignitatibus, beneficiis, administrationibus, aut locis piis medio tempore obvenerunt, nec *procurationes* supra dictæ, quæ ratione visitationis prælatis, vel aliis quibuscunque dignitatibus, beneficiis, debentur, possint de cætero etiam per commissiones seu concessiones, eis jam forte factas, quas tenore præsentium revocamus, nomine summorum Pontificum cameræ apostolicæ reservari, levari, aut quomodolibet participari.

Adjicientes, quod de cætero prælatis, & aliis, qui ex officio visitare tenentur, *facultas* sive licentia *visitandi per procuratorem*, *nullatenus* per sedem Apostolicam aut alium *concedatur*. Nisi forte ex causa infirmitatis, aut alia necessaria, personaliter visitare non possint. Quæ specialiter in literis exprimatur. Aliàs concessio nullius sit roboris vel momenti.

Et *concessas* hactenus tenore præsentium *revocamus*: Constitutionibus, quæ circa fructus hujusmodi conservandos, & procurationes, & taxationes ipsorum, per alios retro pontifices & generalia concilia provide factæ sunt, in suo robore duraturis.

(*ccc*) Et nota, quod quibusdam visum fuit, quod circa spolia, &c. adjicienda esset pœna, ut scil. tam diu curia Romana, quo ad officia sua remaneat suspensa donec per summum Pontificem hujusmodi spolia fuerint plenarie restituta, dicta vero suspensione durante, officia sua exercentes excommunicationis sententiam incurrant ipso facto. (*ddd*)

(*ccc*) Ultima hæc clausula in priori Protocollo non habetur. Estq; in ipsa hac constitutione in utroque codice paulo ante jam expressa. Ut superflua videri posset; ni ideo repetita forte dicatur, quod singulariter hoc notandum crederetur.

Quæ in priori Protocollo sequitur Rubrica ac longa constitutio: *Quod* [*ddd*] *per sedem Apostolicam nulli detur facultas de cetero, licentiandi aliquos ad gradum magisterii seu doctoratus*, supra alio loco in posteriori Protocollo jam est exhibita. Vid. supra f. 605. seq.

CAPUT. IX.

Quod electiones & provisiones de cetero non fiant per preces. Rubrica.

STatutum felicis recordationis *Innocentii Papæ III.* editum in concilio generali contra electos, eligentes, ac electionibus consentientes, per secularis potestatis abusum, locum habere *decernimus* in provisionibus quibuscunque, etiam per summum Pontificem faciendis, quoad provisiones ipsas ac provisionibus consentientes.

Quomodo civilis magistratus ingerere possit Ecclesiis religiosos, precibus scil. Simoniacis.

Et nihilominus *decernimus*, electionem seu provisionem, per secularis potestatis abusum factam censeri debere, non solum si expressa vis aut metus fiat electoribus aut provisori, sed etiam preces literatoriæ vel vocales sint tales, ut à tali vel talibus & taliter emanent: Quod, si non pareatur, possint electores, vel provisor, seu provisores, damna vel incommoda in personis suis, vel suorum, vel rebus vel Ecclesiis suis verosimiliter formidare.

Et *publicetur hæc constitutio in singulis synodis, & capitulis provincialibus*, vel *Episcopalibus* vel *regularibus*, & aliàs, ubi videbitur expedire, & specialiter, cum fuerit ad electionem vel provisionem procedendum. Et ubi in *Decretal. lib. 1. tit. 6. cap. 43.* dicitur de suspensione, dicatur, ipso jure, & procurans preces, ultra pœnas prædictas sit excommunicatus ipso jure.

Alia Constitutio de eodem.

Simoniæ species in commendandis consanguineis ad officia sacra.

Si quis *vocales* aut *literales preces* quorumcunque secularium, quæ aut propter *consanguinitatem*, vel aliàs Simoniam sapiant, aut propter *potentiam* deprecantium impressionem, pro sua electione aut promotione ad Episcopatum vel abbatiam, vel provisione cujuscunque beneficii Ecclesiastici impetrare, uti, aut approbare, imò non expresse contradicere, & statim, cum poterit, electoribus seu promotori, aut provisori contradictionem suam non intimare præsumserit: Electio, promotio vel provisio nulla sit, & ipse ad Episcopatum ipsum, seu abbatiam, vel beneficium ea vice sit inhabilis ipso jure.

Simoniæ hujus pœna.

Sapiunt enim ut plurimum *tales preces vitium simoniæ*, & cum à potentioribus ingeruntur, metum & tacitam impressionem inducunt.

Simoniacæ preces.

Si quis etiam *Ecclesiam* quamcunque, seu *beneficium*, *post rem* contra ipsum in foro Ecclesiastico, in possessorio seu petitorio *judicatam*, & contra executorium judicati, per solam facti resistentiam, per mensem à die scientiæ, *detinere* præsumserit: Omni jure, quod in illo, vel ad illud sibi forte competebat, & cæteris beneficiis suis sit ipso facto privatus. Sit præterea inhabilis ad omnes alias dignitates & Ecclesiastica beneficia obtinenda.

Eadem etiam pœna ipso jure percellatur, si quis *super Episcopatu*, abbatia vel beneficio quocunque Ecclesiastico *litem in foro seculari*, super petitorio, seu possessorio *movere* præsumerit. Nisi forte post rem judicatam in foro Ecclesiastico, in vim executoriæ impetret brachium seculare, ab Ecclesiastico judice invocatum.

Non tamen prohibemus, quin judex, seu *Dominus secularis*, in ditione sua, *etiam inter Ecclesiasticas personas*, in rebus ac beneficiis Ecclesiasticis, vim fieri vetet; Sed solum, ut de facto *vim arceat, scandala prohibeat*, causas ipsas tam possessorias, quam petitorias, ad Ecclesiasticum judicem judicandas remittat.

CAPUT

CAP. X.

De non dispensando cum promotis ad Episcopatus vel abbatiam, quod non teneantur promoveri ad sanctos sacros ordines. Rubrica.

De dispensationibus Papalibus quoad consecrationem Ecclesiasticorum.

[*eee*] PApa non dispenset cum aliquo promoto ad Episcopatum vel Abbatiam, quod non teneantur ad sacros ordines promoveri, vel ad sacerdotium, vel consecrari infra tempus juris, sine consensu majoris partis Cardinalium, & causa rationabili in literis specialiter expressa: Et tunc non ultra annum dispenset.

Et quod omnes tales *dispensationes* in præterito *facta per* Papam, *revocentur*, & currat tempus juris *à fine præsentis Concilii.* [*fff*]

CAP. XI.

De dispensatione ad incompatibilia. Rubrica.

Plura officia Ecclesiastica majora uni non esse committenda.

[*ggg*] EX nunc *revocentur* omnes *concessiones facta Episcopis* vel Abbatibus (*hhh*) à tempore Schismatis de beneficiis tenendis ultra Episcopatum vel Abbatiam. Nisi (*iii*) esset adeo exilis, quod non possint de ipsis sustentari.

(*kkk*) Item *tales concessiones* in futurum *non fiant per Papam*, nisi ex causa evidenti, quæ in literis exprimatur, & cum consilio ac subscriptione dominorum Cardinalium.

(*lll*) Item, nullus *monachus* habeat beneficia *in diversis religionibus.* Et revocentur concessa, ita, quod remaneant in beneficiis suæ religionis.

CAP. XII.

[*mmm*] *De pluralitate beneficiorum. Rubrica.*

Eruditionis beneficium.

QVod *Papa non dispenset*, *nisi* ex causa rationabili, expressa specifice in literis, scilicet *propter scientiam vel nobilitatem*, vel exilitatem beneficiorum, ut in *Decretal. lib. 3. tit. V. cap.28.*

Ad

[*eee*] In priori Protocollo hoc Statuti est initium: *Intentio quod Papa non dispenset.*

[*fff*] In margine prioris Protocolli ad hoc decretum additur: *De hac materia habes conclusionem* XIV. & XVI. *Septembris.*

[*ggg*] Et hic antea simile initium: *Intentio, quod ex nunc revocentur.*

[*hhh*] Inserta renovato decreto verba: *à tempore schismatis*, ex suffragio.

[*iii*] Antea scriptum erat in statuto: *Nisi forte Episcopatus vel Abbatia esset adeo exilis.*

[*kkk*] Hæc in priori decreto non fuerunt posita. Sed suffragium in margine prioris Protocolli positum peperit hoc augmentum. Sunt autem in margine posita: *Scil. tempore schismatis.* (Quæ verba paulo ante decreto novo sunt inserta.) *Citra & in futurum non fiant per Papam, nisi ex causa evidenti, quæ in literis exprimatur, & cum consilio & subscriptione dominorum Cardinalium. Ut habes VIIma Novembris.*

[*lll*] In priori Protocollo his hic præmittitur titulus: *De facultatibus religiosorum habes* XIX. *Octobris. Sed non conclusum.* Unde patet, quare in posteriori Codice hæc non compareant.

[*mmm*] In priori Protocollo titulus hic erat: *De incompatibilibus secularibus, alias de pluralitate beneficiorum,*

Ad tria autem non dispenset, *nisi ex eminenti scientia*, vel *magna nobilitate*, & quia illustris: Nisi forte in partibus, ubi essent exilia beneficia, ut *in Apulia*, & in certis partibus *Hispaniæ*. Et ibi non ultra quatuor. In *Anglia* vero omnino caveat, ut non nisi ad duo ad plus dispenset. Et hoc etiam ex magna causa.

Item quod *nullus* possit habere *ultra duas præbendas Ecclesiarum Cathedralium*, (*nnn*) non obstante quacunq; consvetudine. Nec possit dispensari per Papan nisi ex causa specialiter expressa in literis, quæ sit rationabilis & vera. Et quod non possint lucrari eadem die quotidianas distributiones, nisi in uno beneficio.

Præbendas majores plures uni non deberi.

Caput XIII.

De præteritis dispensationibus quoad incompatibilia revocandis.

(*ooo*) Revocentur illæ ex toto, quæ non sunt sortitæ effectum. Sed sortitæ effectum *reducantur ad duo* tantum. Ita, quod liceat habenti plura incompatibilia, *eligere* infra annum *duo*, *quæ malit*. Nec possit alia cum aliquo permutare.

Caput XIV.

De residentia Episcoporum, & superiorum Prælatorum. Rubrica.

Quilibet summus Pontifex in principio assumtionis suæ proponat edictum, quod omnes *Archi-Episcopi*, & *Episcopi*, similiter & *Abbates*, *jurent in promotionibus suis*, & alii *exemti*, quod teneantur *in propriis Ecclesiis*, monasteriis, & dignitatibus, curis & administrationibus, *residere*. Et si steterint *per sex menses absentes* ab Ecclesiis suis, vel monasteriis, absque expressa licentia sedis Apostolicæ, sint ipso jure privati Episcopatibus & abbatiis suis.

Episcopi & Prælati in suis vivant Ecclesiis.

Nec det Papa licentiam, nisi ex rationabilibus & justis causis, in ipsorum literis specialiter expressis: Utputa, quia Romana curia indiget de præsentia sua, vel quia tenentur prosequi causam Ecclesiæ suæ in curia vel alibi, vel, quia est *de consilio alicujus Regis vel Principis*. Hoc tamen adjecto, quod pro consiliis Regum & Principum sint deputati, ad certum & determinatum numerum.

Casus, quibus possit Episcopus abesse à sua Ecclesia.

Intelligantur tamen *esse præsentes*, si morantur *in castris* vel *locis aliis vicinis* Ecclesiæ suæ infra diœcesin. Ita tamen, quod saltem in præcipuis festivitatibus & diebus solennibus, scilicet nativitatis Domini, circumcisionis, epiphaniæ, quadragesimæ, paschatos, ascensionis, pentecostes, in nativitate Sancti Johannis Baptistæ, assumtionis nostræ Dominæ, & in aliis festis principali-

Casus, quibus æstimentur Episcopi in Ecclesiis suis vivere, et si absint.

[*nnn*] Novæ huic constitutioni inserta: *Non obstante*, usque ad, *vera*. Ex suffragio quidem, margini prioris Protocolli adjecto, quod tale est: *De hac materia habes Vta Novembris, quod quis non possit habere ultra duas præbendas Ecclesiarum Cathedralium, non obstante quacunque consuetudine. Nec possit dispensari per Papam, nisi causa specialiter expressa in literis, & quæ sit vera & rationabilis.*

[*ooo*] In priori Protocollo levis fuit differentia. Fuit enim hic tenor: *Revocentur illæ, quæ non sunt sortitæ effectum, in totum. Aliæ autem revocentur ad duo tantum. Ita quod licet habeat plura incompatibilia, possit eligere infra annum duo quæ malit, nec possit cum aliquo permutare.* In margine vero scribitur: *Similiter de isto habes Vta Novembris, quod dispensationes de incompatibilibus secularibus, si non sint sortitæ effectam revocentur ex toto. Sed sortitæ effectum reduci ad duo. Et instituti teneantur intra annum eligere quæ duo velint, nec possint permutare.*

cipalibus, ut consecrationis seu dedicationis Ecclesiæ suæ, sint præsentes in Ecclesia, & missas celebrent, si possint.

Inferiores Ecclesiastici, à suis officiis etiam haud absint.

Similiter Episcopi teneantur sub pœna, ponere simile *edictum* omni anno in Ecclesia sua *pro Abbatibus* non exemtis, & aliis curatis & habentibus beneficia, requirentia residentiam de jure, consuetudine, vel statuto. Nec dent licentiam non residendi, nisi ex causa justa & expressa, ut supra. Nec aliquid capiant pro tali licentia sub pœna.

[ppp] Item quod *Abbates non possint abesse à monasteriis* causa studiorum: Quia debent esse scientes: Nec ideo, ut legant in aliqua facultate, quia utilius est, ut suscepta monasteria gubernent, quam quod scholaribus legant.

Item, quod non possint esse in officiis secularibus vel consiliis Principum, nec propterea habere absentiam: quia mortui sunt mundo.

In conciliis provincialibus habeatur diligens *inquisitio* & relatio de subditis ipsorum, ut puniantur, & de Episcopis & exemtis, qui per semestre non residerint, vel negligentes fuerint, compellendo subditos ad residentiam, ut *per concilium referatur Papæ.* (qqq)

In Conciliis provincialibus inquisitio.

Caput XV.

De dispensatione ad ordines, Rubrica.

Studiorũ privilegium.

Quod prælati servent *Capitulum XIV. Sexti Decretal. lib. I. tit. VI.*

Item, quod in literis exprimant, quod *nisi studium* continuo *prosecutus* fuerit, *cessante studio* dispensatio ipsa cesset. Et de facto revocent dispensationem, si habentes *relicto studio* vel *intermisso* abutantur ipsa.

Et idem in literis de non residendo *causa studii*, vel alia quacunque.

Papa etiam non det dispensationem, quod non teneantur ad sacros vel ad sacerdotium intra annum promoveri, nisi ex justa causa & specialiter in literis expressa. Nec tunc ultra annum concedat. Et in præteritum concessæ revocentur. Ita quod remaneant ad annum tantùm.

Cap. XVI.

De dispensatione ætatis Episcoporum, Abbatum, curatorum & ordinum. Rubrica.

De ætate eorum, qui ad magna officia Ecclesiastica promovendi.

Non dispenset Papa nisi in tribus annis infra ætatem juris. Ut in Episcopo, si explevit XXVII annum, in Abbatibus & curatis, si XXII attigerunt, & similiter in ordine presbyteratus. Et hoc non fiat nisi ex causa rationabili, & specialiter in literis expressa.

Præteritæ dispensationes revocentur, quæ non sunt sortitæ effectum. Si habentes ipsas hodie sint infra dictas ætates dispensabiles, sint revocatæ. Hoc adjecto, quod *dispensationes*, quæ dicuntur factæ *cum infantibus*, ad dignitates supra scriptas, etiamsi sint effectum sortitæ, sint revocatæ. Quia contra jus naturale.

Dispensationes cũ infantibus ad officia sacra prohibitæ.

In præbendis Ecclesiarum cathedralium stet regula Cancellariæ, quod non possint conferri, nisi existentibus in XIV. Possit tamen conferre existenti in XII. facta mentione de ætate.

[ppp] Inserta hæc in renovata Constitutione, in priori Protocollo haud obviat *Item quod Abbates — legant.*

[qqq] In margine prioris Protocolli notatum: *De hac materia habes conclusionem* VII. *Novembr. & incipit Rubrica: De Episcopis & superioribus Prælatis & Abbatibus non residentibus in suis Ecclesiis.*

CAP. XVII.

De litigantibus in curia Romana.

De litib9 Ecclesiasticorum

NOn imponat Papa silentium litigantibus, nec extingvat litem, nisi causa cognita per sententiam.

Nec restituat, contra rem judicatam, *in Curia* nisi ex causa legitima, & causa cognita. *Ro.*

CAP. XVIII.

De decimis per Papam non imponendis.

Rubrica.

De decimis Papalib9 à clero haud

QVod *Papa non imponat decimam clero*, vel toti, vel ejus parti, *nisi in concilio generali, & cum consensu concilii.*

Possit tamen postulare caritativum *exigen-* subsidium cum charitate (*rrr*) quando *dis-* res exiget.

CAPUT XIX.

De conversis ad fidem. Rubrica.

Bona conversorum Judaorũ non diripienda.

QUod *bona illorum, qui convertuntur ad* fidem, *non confiscentur* per ecclesiam vel Principes, seu Dominos seculares, sed eis remaneant.

Nisi sint *de usuris*, vel alias *male ab-* *Casu-* *latis.*

Et tunc *incerta* eis libere remaneant. (*sss*)

CAP. XX.

De exemtionibus religiosis concessis.

Rubrica.

QVod omnes *exemtiones*, quibuscunque religiosis domibus, aut aliis locis, vel personis quibuscunque, *à tempore schismatis per Romanos Pontifices concessa*, præter consensum ordinariorum, aut sine causæ cognitione, *indistincte revocentur*, cassentur, irritentur & annullentur: Exceptis Ecclesiis vel locis noviter fundatis, & sub conditione exemtionis etiam à tempore *Acade-* schismatis. (*ttt*) Exemptionibus tamen *miarum* studentium & generalium Studiorum *beneficiũ.* semper salvis.

CAP. XXI.

De privilegiis inferiorum prælatorum ipsis concessis. Rubrica.

QVod omnia *privilegia & indulgentia à tempore schismatis concessa inferioribus prælatis*, de utendo Pontificalibus, sicut mitris, sandaliis, rocheto, de benedicendo populo, & *dando indulgentias*, & hujusmodi, ad dignitatem Pontificalem pertinentibus, revocentur.

Et idem intelligatur de *Abbatissis.*

Item

[*rrr*] In priori Protocollo & hic erat insertum: *Et de consensu Concilii.*

[*sss*] In priori Protocollo annexa hæc: *De ceteris relinquatur eorum conscientiæ.*

(*ttt*) Prior constitutio clauditur voce *schismatis.* Verùm in margine hæc adjecta: *Et fuit dictum, quod habeatur advertentia de exemptionibus pendentibus ex necessaria causa, orta ante schisma, & de exemptionibus Studentium in studiis Generalibus.* Hinc appendix in nova constitutione de Academiis.

CAP. XXII.

De ignorantibus idioma. Rubrica.

ITem, nulli ad Ecclesias Parochiales promoveantur in aliquo regno, nisi idioma vulgare ejusdem patriæ sufficienter intelligant & loquantur. (*uuu*)

(*xxx*) Et ibi conclusum fuit, quod innovetur Constitutio Gregorii XI & extendatur ad Ordinarios. (*yyy*)

(*uuu*) Prioris constitutionis hoc erat initium: *Item quod nulli ad beneficia Ecclesiastica curata promoveantur.*

(*xxx*) Hæc clausula in priore statuto prioris Protocolli non comparuit. In margine tamen Protocolli iisdem verbis res fuit concepta, scil. *Conclusum, quod innovetur constitutio Gregorii XI. & extendatur ad ordinarios.*

(*yyy*) Sequens longa series Constitutionum absque titulo aut Rubrica in priori succedit Protocollo. Neque in novo Protocollo quicquam horum hic loci comparet. Prima autem ex his statuta derivata videntur ex monitis *Alamani Adimari Cardinalis Pisani*, quæ supra in Præfatione recensuimus. Ne quid igitur & horum omittamus, en prioris Protocolli faciem! *In collatione beneficiorum primo attendatur ad dignitatem personarum, maxime circa scientiam. Quod ad Episcopatum nullus eligatur vel promoveatur, nisi sit persona sublimis, vel Doctor in Theologia vel in jure Canonico. Attendatur tamen qualitas regionum. Quia alicubi sunt ita tenues reditus episcopatuum, quod forte hoc non poterit observari.* In margine hic additur: *XIII. Septembris conclusum, quod tota ista materia referatur ad vacationes.*

Ad Abbatias autem non videtur tantum requiri gradus scientiæ, quia aliquando scientia præbet materiam evagandi, quantum bona administratio, & bona solertia ad divinum cultum, & honestas in observantia regulari. In margine: *Penultima Augusti fuit conclusum, quod in magnis Abbatiis, maxime si habeant monasteria sub se, attendatur, quod sint Doctores, sicut in Episcopatibus. In aliis stetur litera. Sed adhuc istius particulæ pendet deliberatio ex particula præcedenti.*

In primis etiam dignitatibus post Pontificalem, & curatis cathedralibus soli Doctores & Licentiati in Theologia vel jure. In aliis dignitatibus Ecclesiarum cathedralium & in principalibus, ut collegiatis & curatis magnis, iidem, vel baccalaurei in Theologia formati.

Item in qualibet Ecclesia cathedrali sit certus numerus præbendarum, ad quas non possint nisi prædicti ultimi ullo modo assumi. Et supra dicti gradus scientiæ requirantur sive per ordinarios, sive per expectativas, sive per electionem, sive provisionem Apostolicam. Aliàs nulla sit provisio. Habeatur tamen ratio nobilitatis, tam ad Episcopatus, quam ad alias dignitates, secundum quod videbitur expedire. Item consideratio regionum, ut supra. In margine: *communiter placet ista particula omnibus, ita quod habeatur consideratio, quod Ecclesiæ sint sufficientes ad hoc.*

De gratiis expectativis videtur, quod principaliter Papa det gratias in communi forma pauperum, in datis consuetis. Et quod paribus in datis præferantur literati, quod sint justitiæ potius *quàm gratiæ.* In margine: *Variæ fuerunt opiniones. Ac aliis & majori parti placuit textus, aliis quod limitentur, aliis, quod materia pro nunc remaneat indiscussa. Et finaliter fuit conclusum, quod differatur.*

Item det rotulos ordinatos pro familiaribus suis, pro officialibus, pro regibus, pro universitatibus, pro familiaribus Cardinalium, pro ducibus & aliis consuetis. Sed in certo numero, & cum moderamine debito, secun-

cundum ordinationem observatam tempore Urbani V. & Gregorii XI. Et ultra rotulos per totum primum annum posset secundum exigentiam meritorum & statum dare expectativas, in primis datis, secundum quod moderate sibi videtur, post annum vero primum nulla nisi sub data currenti.

Item, quod non dentur expectativæ nisi ad unum beneficium tantùm, & unam collationem tantum, nisi esset infra summam XL florenorum, & tunc ad duo, vel distingvantur regiones, ubi detur ad unum vel duo, vel plura, secundum consuetas regulas cancellariæ.

Item non dentur ad prioratus, conventuales, nec ad dignitates electivas.

Item fiat constitutio, quod certus locus remaneat liber ordinariis. Sed quod simul scientiæ conferant, ut supra. Et alia provisio sit nulla.

Item, quod major in gradu scientiæ *præferatur* in pari data, & ideo *diœcesanus* non diœcesano.

Item beneficiis vacantibus minoribus, utantur solum reservationibus juris scripti, & Extravagantis Ad regimen, *quæ ita moderata est, & consueta, quod pro jure satis reputari possit.*

In Episcopatibus & abbatiis minoribus, usque ad centum florenos, libera sit electio & confirmatio ordinariis: In majoribus libera sit electio, sed Papa confirmet.

Communia servitia prælaturarum solvi non possint, etiam à volentibus, ante annum. Et fiat talis constitutio, quod servetur ex necessitate. In fine anni, à die habitæ possessionis, solvatur medietas, & alterius anni altera medietas. Et si bis in anno vacaverit, non solvatur, nisi semel. Et Ecclesiæ ac monasteria, quæ sunt indebite taxata, debite taxentur.

Item, quod Papa pro tempore existens in suis provisionibus ad prælaturas, & alia beneficia Ecclesiastica, mentem habeat & gerat specialem ad Doctores in Theologia, jure canonico, & civili. Et ipsis juxta eorum habilitates & sufficientias ad gubernandum in spiritualibus & temporalibus, provideat, & eos promoveat inter alios. In margine: *Non detur. Quia non expedita, & pendet adhuc.*

Item, quod ArchiEpiscopi, Episcopi, Abbates, Priores, & alii quicunq; spirituales, beneficiorum spiritualium collatores, Doctores in Theologia, jure canonico vel civili, nec non baccalaureos in Theologia, ad quæcunq; beneficia: Cum curia extra Ecclesias cathedrales existentes, quamdiu aliqui hujusmodi Doctores, Magistri sive Licentiati, ac in diœcesibus, ubi hujusmodi beneficia existunt, non promoti, fuerint, semper unum ex hujusmodi beneficiis ex nunc simul vel successive vacatura conferant, seu ad ea præsentent in forma juris de tempore in tempus. Qui quidem Doctores in Theologia, & alii prædicti, sic promovendi, super eisdem suis beneficiis resideant, & suis doctrinis & exemplis populum informent in lege Christi, & ad hoc per suos ordinarios compellantur. Hic in margine: *XVIII. Novembris conclusum, quod stetur Capitulo, quantum ad id, quod ibi dicitur de residentia in locis Universitatum studiorum. Illi tamen de natione Gallicana dixerunt, quod super hoc contulerant inter se, sed nondum erant concordes.*

Item ArchiEpiscopi, Episcopi, in collationibus beneficiorum, in Ecclesiis cathedralibus & collegiatis, Doctores in Theologia, jure canonico, sic habeant recommissos, quod in Ecclesiis cathedralibus dignitates & *beneficia, pro Theologia sive jure canonico in eisdem Ecclesiis legendo fundata*, per hujusmodi Doctores in Theologia & jure canonico, non per alios quovis modo occupentur, juxta naturas & fundationes eorundem beneficiorum. Qui quidem *Doctores Theologiam & jura canonica in eisdem Ecclesiis*

juxta

juxta easdem naturas & fundationes *personaliter & continue legant. Additur & hic in margine*: Conclusum, quod stetur capitulo, & addatur, quod collatio aliis facta quam Theologo vel Canonistæ, sit nulla. Item, quod prædicti Theologi & Canonistæ teneantur exequi id, quod est eis injunctum per fundatores. Et possint ad hoc per subtractionem fructuum compelli.

Præterea iidem Archi-Episcopi, & Episcopi, alias dignitates, canonicatus & præbendas in singulis suis Ecclesiis Cathedralibus & collegiatis sic conferant, quod, quamdiu aliqui hujusmodi *Doctores, Baccalaurei*, sive *Licentiati*, in suis diœcesibus nati & non promoti, seu unicum beneficium tantum habentes, reperiri poterunt *idonei*, inter quatuor hujusmodi dignitates seu præbendas, per mortem sive resignationem in eisdem Ecclesiis cathedralibus & collegiatis vacaturas, unam conferant alicui eorundem.

Et præterea alios hujusmodi *Doctores & Licentiatos & baccalaureos* juxta *sua merita, scientias* & habilitates, extra suas diœceses natos, habeant in aliis collationibus suis ad hujusmodi dignitates & præbendas in eisdem Ecclesiis Cathedralibus vacaturas recommissos, juxta suas conscientias, & secundum quod pro utilitate Ecclesiarum videbitur expedire. Et omnes *Doctores & Licentiati, Magistri & baccalaurei* prædicti, vigore præsentis ordinationis sive decreti promovendi, supra beneficiis hujusmodi juxta naturas & fundationes eorundem resideant, & morentur, nisi habeant causam juridicam, sive rationabilem suæ absentiæ. Et ad finem, ut præmissa exequi valeant, Cancellarii vel Doctores universitatum pro tempore existentes, de nominibus hujusmodi Doctorum, Licentiatorum, ac Magistrorum, ac baccalariorum, ordinariis locorum, in quibus nati existunt, certificent de tempore in tempus.

Item, quod *in qualibet Ecclesia Cathedrali ad minus quarta pars præbendarum sit pro Doctoribus seu Licentiatis in sacra pagina, jure canonico vel civili, aut in medicina, aut baccalariis in Theologia.*

Item quod *in qualibet alia Ecclesia collegiata* ad minus *quarta pars* præbendarum sit *pro* dictis *Doctoribus, Licentiatis ac baccalariis* vel *pro Magistris in artibus, ac baccalariis in jure Canonico vel civili.*

Item, quod ad minus tertia pars *Ecclesiarum parochialium* sit *pro graduatis* & aliis supra dictis. Sic tamen quod quoad Ecclesias parochiales existentes in locis insignibus, aut alias habentes magnas plebes, habeatur respectus ad Theologos & canonistas.

Item quod de *Episcopatibus* & aliis *prælaturis* non provideatur, nisi *graduatis*, aut alias *scientia eminentis*, aut *generosis*, si tamen illi sunt sufficientis literaturæ.

Item, quod nati de diœcesi, in quibus sunt hujusmodi beneficia, præferantur extraneis, & magis graduatus minus graduato, nisi rationabilis causa aliud exposcat.

Item quod nullum habens beneficium præferatur habenti, cæteris paribus. Item provideatur, quod per illam *provisionem graduatorum* divinus cultus & ædificatio populi crescat, & augeatur.

De Translationibus.

Translationes invitorum Patriarcharum, ArchiEpiscoporum, Episcoporum seu Abbatum, salvo jure constitutionum ordinum suorum, Papa non faciat *usque ad proximum futurum Concilium.* Licet, ubi immineret scandalum & periculum Ecclesiæ exspectando celebrationem futuri proximi concilii generalis, licitum sit Romano Pontifici, cum consilio & consensu Cardinalium, seu majoris partis eorum, absque translatione facienda de invito, scandalo hujusmodi providere.

Additum & hic in margine: Hoc est in constitutione, quæ supra jam data, quæ incipit: Quia decet. *Alia nota marginalis:* xx. Augusti fuit determinatum, quod non nisi in Concilio fiant, & quod sic statuatur.

Quod electiones, provisiones & postulationes de cætero non fiant per preces. Rubrica, xi Septembris. Placuit, quod constitutio fiat eo modo & forma, quod non fiat inutilis vel periculosa. Et fuerunt deputati pro forma dictandi *Reverendissimi Cardinales Pisanus & Patriarcha Antiochenus.* Qui postea exhibuerunt schedulam, quæ incipit: *Statutum felicis recordationis Innocentii Papæ III. &c. Additur & hic in margine:* Conclusio facta xi. Septembris.

Cap. XXIII.

De Unionibus.

Uniones de beneficiis cujuscunque status, sive etiam de ecclesiis secularibus vel regularibus, *deinceps non fiant per summum Pontificem*, nisi ex causa rationabili & causa cognita. Et aliter factæ, ipso jure sint nullæ. Idem & fortius in Ordinariis.

Factæ autem in præteritum, quæ nondum sortitæ sunt effectum, indistincte intelligantur cassatæ & penitus revocatæ.

Et idem de unionibus factis *de vicariis*, quæ intelligantur revocatæ, etiamsi effectum sortitæ sint.

Quæ vero *de aliis beneficiis*, sive per summos Pontifices sive Ordinarios factæ sunt, & effectum sortitæ, à tempore hujus nefandi schismatis, causa rationabili non subsistente, indistincte habeantur pro nullis, & sint ipso jure revocatæ. (zzz)

Item, revocentur omnes *literæ facultatum concessæ mendicantibus*, etiamsi sortitæ sint effectum, & etiam si per modum commendarum. Sed concessæ *aliis religiosis* pro beneficiis extra suum ordinem, si non sint sortitæ effectum, indistincte revocentur. Secus, si effectum sortitæ sunt. In futurum autem indistincte non concedantur. Et si concedantur, non valeant. (*aaaa*)

(zzz) In prioris Protocolli margine. *Detur. Ista conclusio fuit facta XIX Novembr.* Huic porro paragrapho subjunguntur *in priori Protocollo* sequentia:

De Exemptionibus

Item quod omnes exemptiones &c. Ista materia non est deliberata, prout apparet die Veneris XXII. Novembris.

Additur hic in margine: *Non detur.*

De Examine Ordinandorum

Fuit dictum, quod Ordinator teneatur examinare.

Etiam, cum examinatio pertineat ad alium ex privilegio vel alio jure, tunc si dubitet de idoneitate non tenetur eum admittere, nisi se offerat examinationi.

Et hic in margine: *Ista materia non est discussa plene, prout habetur XIX. Octobr.*

De facultatibus religiosorum

Conclusum, quod faculeates concessæ religiosis non mendicantibus, pro beneficiis extra suum ordinem, revocentur, si non sint sortitæ effectum. Secus, si sint sortitæ. Dictum tamen fuit quod oportet considerare. Quia sunt aliqui canonici regulares qui tenent habitum Canonicorum regularium, & tamen habent beneficium monachorum, & è contra.

Item de literis facultatum dicatur indistincte, quacunq; habeant. Tamen ista videnda sunt in capite.

Additur hic in margine: *De ista materia habes XX Octobris, & prout apparet, in fine non est conclusa.*

(*aaaa*) In margine prioris Protocolli: *Detur. De hac materia habes ultima Septembris conclusive.*

CAP. XXIV.

De beneficiatis, citra Episcopos & Abbates, non residentibus. Rubrica.

QVod *omnes habentes beneficia*, requirentia residentiam de jure, consuetudine, vel statuto, vel alia speciali ordinatione, *resideant*. Et moneantur per edictum publicum. Quod faciant Episcopi & alii Prælati, jurisdictionem habentes, in principio suæ institutionis. Et repetatur hoc in synodis & *conciliis provincialibus*.

Et si absque causa rationabili & superiorum licentia fuerint absentes per sex menses, exequantur prælati pœnas juris contra ipsos.

Et ultra hoc dixerunt aliqui de specialibus pœnis imponendis.

De licentia autem, quæ datur pro absentia, quod nihil recipiatur pro ipsa. Et non detur, nisi causa rationabili & expressa. Nec habeatur pro rationabili, si stant in curia Regis vel Principis pro officiis voluntariis, in quibus stant propter lucrum.

Et si Episcopi vel alii jurisdictionem habentes fuerint negligentes in præmissis, fiat super hoc *inquisitio in conciliis provincialibus & generalibus* ad effectum, ut in primis redarguantur, & in generalibus puniantur.

Item etiam Papa in principio assumtionis faciat edictum publicum in Romana curia de residendo, ut supra.

Et *dispensationes* factæ contra præmissa ex toto sint revocatæ. Nec in futurum concedantur, nisi ex causa rationabili & evidenti, & in literis specialiter expressa.

Et specialiter habeatur advertentia, quod non dispensetur cum illis, *qui sponte juraverunt residere*.

Et quod habentes dignitates principales post Pontificales, teneantur ad residentiam (*bbbb*)

CAP. XXV.

De taxis Ecclesiarum reducendis ad debitum modum Rubrica.

FUit propositum & dictum, quod materia in se erat bona & necessaria, sed tamen *differenda usque quo* per Dei gratiam *habeatur unio & unicus Pontifex in Dei Ecclesia*. (*cccc*)

CAPUT XXVI.

Contra Simoniacos.

COnclusum, quod expediens est, quod *per concilium procedatur contra aliquos*, saltem illos, qui sunt de hoc publice diffamati. Et dentur judices zelatores veritatis & affecti ex conscientia contra hoc crimen, qui contra prædictos, constanter, intrepide procedant, etiam summarie & sine strepitu & figura judicii, vel ad instantiam volentium agere, civiliter vel criminaliter, vel etiam ex officio, & omnibus modis juridicis, etiam per denunciationem vel inquisitionem. Et hoc quoad *forum judiciale*.

Simoniaci plectendi.

Forum judiciale.

Sed quoad *forum pœnitentiale*, quia multi dicuntur his turpibus illaqueati, tam clerici quam laici, & nonnulli etiam creduntur esse, qui forte faciunt sibi conscientiam, existimantes, se hoc crimine contaminatos esse, etiam ultra, quam sint: Ideo ad hoc, ut facilius inducantur ad pœnitentiam super hoc agendam

Forũ pœnitentiale.

(*bbbb*) Prius Protocollum ab initio decreti, in margine: *Detur. Hanc conclusionem habes VII. Novembris.*

(*cccc*) Hujus censura marginalis in priori Protocollo est: *Non detur.*

dam, volens *hoc sacrum concilium* providere saluti animarum, statuit *quoad tempora præterita*, quod, quicunque tales voluerint pœnitere, liceat eis eligere sibi confessorem discretum, qui sciat bene talibus consulere, prout fuerit expediens.

Simoniacorũ pœnitentiũ absolutio.

Et ne contingat, *confessores* in hoc per ignorantiam errare, decernatur, quod sint Doctores vel Magistri in sacra pagina, vel in sacris canonibus. Et istis sic electis *conferatur à concilio plena potestas*, ita, quod possint secundum qualitatem criminis & devotionem confitentis, & aliis circumstantiis attentis, hujusmodi confitentes plene absolvere, imposita pœnitentia salutari, & sufficienter consulere, & providere prædictis & eorum statui, habentes in hoc *omnimodam potestatem, quam potest tribuere concilium.*

Intelligendo semper, quod quicquid per prædictos in præmissis gestum fuerit, valeat quoad dictum *forum pœnitentiale* tantum, sine præjudicio *fori judicialis.*

Et *judices* prædicti *deputentur per nationes*, unus pro natione, & unus de collegio Cardinalium, quem ipsum collegium voluerit deputare. (*dddd*)

CAP. XXVII.

Da oneribus, seu solutionibus pecuniarum, quas habent subire hi, qui recipiuntur ad canonicatum vel præbendam in Ecclesiis Cathedralibus, vel aliis collegiatis: Et specialiter de statutis vel juramentis, propter quæ recipiendi stant per multos annos, quod nihil percipiunt. Et de litera Vidimus. (*eeee*)

Canonicorum onera.

Conclusum erat varie. Tamen communiter inclinarunt in hoc, quod *onera, quæ sunt ad cultum divinum*, & quod recipiendus solvat pluviale, vel quid simile, stent. Sed provideatur, quod solutio fiat de fructibus præbendæ. Et illud fiat cum effectu *ad utilitatem publicam.*

Si autem solvitur pecunia, quæ distribuitur inter canonicos, illud prohibeatur. Et si est consuetudo *de faciendo pastũ*, non cogatur recipiendus ad hoc. Et si etiam velit facere, non possit excedere florenum.

Item si consuetudo habeat, quod *fructus primi anni* debeantur fabricæ, & *secundi anni* alteri loco vel personæ &c: Non extendãtur talia ultra duos annos.

Distributiones autem quotidianæ sine aliqua exceptione debeantur à die receptionis, si receptus deservit in divinis.

De receptionibus verò, quæ fiunt *per expectativas*, quod etiam tunc nihil exigatur. Cum tunc non consequatur præbendam, quæ non vacat: Vel forte, si vacat, alii concurrunt cum eo, ita, quod inter eos est lis, quis potior. (*ffff*)

CAP. XXVIII.

De tempore professionis fiendæ Rubrica.

Quæ ætas admittenda ad monasteria virorum ac feminarum.

Fuit conclusum, quod in religionib' licet possint recipi *pueri*, tamen ad professionem non admittantur nisi plene *puberes*, scilicet, qui sint *in* 18 *anno, & maxime quoad puellas.* Nec etiam obligentur ex professione tacita ante dictam ætatem.

Et quod *novitii* non admittantur ad professionem, nisi sciant competenter legere & cantare, nisi in religione militari

(*dddd*) In margine prioris Protocolli: *Detur. Hanc conclusionem habes* XVI. *Nov.*

(*eeee*) In priori Protocollo brevior titulus itidem præmissus *De iniquis statutis.* Quæ inscriptio in margine quoque posterioris Protocolli consignata. Habeturque in margine prioris protocolli. *De hac Conclusione vide I. Octobris.*

(*ffff*) In prioris protocolli margine porro additur: *Detur.*

tari, ut sancti Johannis, & simili.

Nec ad sacros ordines admittantur nisi sint professi, & sint competenter in Grammatica instructi. (gggg)

CAP. XXIX.

De Conciliis provincialibus & Synodis Episcoporum. Rubrica.

Concilia provinciales sint frequentia.

FUit conclusum, quod *concilia provincialia fiant, saltem de triennio in triennium, & synodi Episcoporum singulis annis.*

De emendatione morum agendum in Conciliis provincialibus.

In quibus agatur *de correctione morum* & aliis, ut est juris.

Et teneantur ArchiEpiscopi & Episcopi per se ipsos, si non sint legitime impediti. Et si omiserint, sint suspensi ab omni jurisdictione. Et devolvatur ad Capitulum cum emolumento ipsius, quod convertatur in utilitatem publicam Ecclesiarum, non privatam ipsorum de Capitulo.

Et si *metropolitanus* per quadriennium, & *diœcesanus* per biennium differant, tunc *in sequenti concilio generali* possint, si videbitur, continuo privari dignitatibus ArchiEpiscopatus vel Episcopatus.

Et ipsi teneantur ire *ad concilium provinciale* sub pœna excommunicationis, quam incidant ipso facto, nisi habeant causam rationabilem, quæ discutiatur in concilio, vel sint suspensi à collatione beneficiorum per annum. Et devolvatur ad Capitulum suum.

Et *de loco concilii provincialis* statuatur in præcedenti concilio provinciali.

Et *duret* saltem octo diebus vel decem. Aliqui dixerunt de mense. De synodo vero, quod duret saltem quinque diebus. Nihilominus fuit dictum, quod illa materia latius tractaretur in sequenti die. Postea tamen nihil fuit mutatum. (hhhh.)

CAP. XXX.

De casibus reservatis sedi Apostolicæ.

PRopositum fuit *de casibus reservatis sedi Apostolicæ*, in quibus absolvit *major pœnitentiarius*, sine speciali mandato, quod committantur Episcopis. Vel saltem quod in partibus alicui daretur potestas circa hoc. (iiii.)

Conclusum per majorem partem, quod stetur juri communi.

Tamen aliqui dixerunt, quod *super occultis* bonum esset providere. Et aliqui etiam dixerunt, quod vellent magis deliberare *de occultis. De notoriis* autem fuerunt omnes concordes, quod stetur juri communi. (kkkk.)

CAP. XXXI.

De vicariis perpetuis in Ecclesia instituendis. Rubrica.

ITem in singulis Ecclesiis appropriatis & unitis sit *unus vicarius* alias *curatus perpetuus*, qui curæ insistit Ecclesiarum, bene & competenter dotatus per

(gggg) In margine Prioris Protocolli: *De hac conclusione vide IX. Novembris.*

(hhhh) In margine prioris Protocolli: *Hanc conclusionem habes X. Octobris, non tamen discussam, prout habes in fine.*

(iiii) In margine prioris Protocolli: *Detur.* Et in margine posterioris: *Fiat, ad minus ad præsens.*

(kkkk) Et hic in margine prioris Protocolli: *De hac conclusione habes 25. Novembr* Atque hic finitur prius Protocollum in Codice MSCto Vindobonensi, Actorum Concilii Const. Parte I. f. 96.

Ordinarium, pro autoritate Apostolica, & hospitalitate tenenda, & oneribus incumbentibus sufficienter supportandis: Revocatis literis Apostolicis, privilegiis, consuetudinibus, præscriptionibus, pactis, sententiis latis, omnibus aliis, in contrarium facientibus quibuscunque, tanquam irrationabilibus, & in præjudicium divini cultus concessis.

CAP. XXXII.

Quod Pontifices ordines, consecrationes, & alia Pontificalia, per se vel substitutos, gratis, sine quacunque exactione pecuniarum, celebrare teneantur: Et quod non dispensent cum ordinatis per simoniam.

Rubrica.

QVia à temporibus longis, humani generis hoste procurante, nonnulli, imo multi Pontificali dignitate sublimati, quibus ex debito Pontificalis officii competebat sacrorum & inferiorum ordinum ministeria, nec non consecrationes & alia Pontificalia actuum exercitia, per se, *gratis, sine quacunque pecuniarum exactione* celebrare, hujusmodi exercitia, aliis *Episcopis titularibus*, pauperibus, & aliunde unde viverent non habentibus, interdum annua pensione ex pacto seu aliàs soluta, commiserunt exequenda: Qui differenter secundum differentias ordinum aut rerum consecrandarum, implicito vel explicito pacto, ab ordinatis vel consecratis, aut de conciliatis rebus *pecunias* nedum *receperunt*, sed & satis inhumaniter extorserunt, *vitium simoniacæ pravitatis miserabiliter & satis impudenter* nedum exercendo, sed & alios recipientes hujusmodi ordines, de consecrationibus & reconciliationibus paciscentes, damnabiliter maculando: Idcirco *sacra synodus*, volens tale *vitium, tam evidenter Ecclesiam Dei scandalizans*, in quantum potest, *extirpare*, statuit & decernit, quod quilibet ArchiEpiscopus aut Episcopus præfatos suos actus Pontificales vel per se ipsum, si poterit, alioquin per substitutum Pontificem, & catholicam gratiam & communionem sanctæ sedis Apostolicæ habentem, *gratis & absque omni datione aut exactione pecuniarum prævia*, ipsi Pontifici, janitoribus, intitulatoribus, scriptoribus vel servitoribus, quomodolibet, cum pacto vel sine pacto solvendarum, exerceat, & faciat taxam *literarum testimonialium*, quæ *formata* nuncupantur, pro quibus unus solus papalis grossus aut ejus valor tam pro sigillo & cera, quam scriptura solvi debet.

Episcopi titulares.

Simonia artes.

Conciliũ Constantiense Simoniam omnem voluit extirpatam.

Vel, si Archi-Episcopum vel Episcopum ad extranea remotiora loca, pro consecratione & reconciliatione Ecclesiæ, monasterii, cœmeterii, altaris aut capellæ, proficisci contingat, præcise expensarum & non ultra procuratione & solutione, duntaxat exceptis ordinatione & dispositione, quod Episcopo ordinanti & consecranti, reconcilianti, substituto, de reditibus mensæ suæ principalis taliter & tam sufficienter provideatur, ne egestate gravatus sibi in hujusmodi actibus simoniace quæstum quærat.

Quod si secus actum fuerit, & quod pecuniæ ultra id, quod præmittitur, exigantur, dentur, aut recipiantur, sit ipse *ordinans*, vel alium actum Pontificalem exercens, tam *principalis* quam *substitutus*, ultra pœnas juris eo ipso sua Pontificali dignitate privatus & inhabilis ad eandem. Et taliter *ordinatus* ab officio suo suspensus tam diu, donec à solo summo Pontifice *in generali concilio* à tali suspensione relaxari mereatur.

Pœna Simoniacarum artium.

Et nihilominus, quod *hactenus* talis *damnata corruptionis abusus nimium invalescens totum ordinem Ecclesiasticum* ministrorum Dei simplicium *per simoniacam suorum ordinum receptionem* hinc inde per diversas infecit mundi partes, ita *ut paucissimi reperiantur, qui non sint hoc fectus vitio maculati* seu decepti: Idcirco *hac sancta*

Totus olim ordo Ecclesiasticus Simonia infectus.

sancta synodus, errantium multitudini compatiens, pia mater, omnes taliter *ex pura simplicitate promotos*, aut aliter ad sacros ordines promoveri non potentes, a singulis excommunicationis & suspensionis sententiis, quas taliter ordinati usque ad præsens incurrerint, aut inciderint, ipso jure, postquam coram taliter commissa aut debita suis confessoribus in foro conscientiæ, & confessione exposuerint, accepta secundum modum culpæ pænitentia salutari, ex nunc prout ex tunc *absolvendos* & relaxandos decrevit, nec non *præsenti constitutione absolvit & relaxat*. Super irregularitate seu inhabilitate quacunque, in officio ordinum suorum ministrando quamlibet hactenus contracta, pie & misericorditer dispensando.

Dispensatio de Simoniacis ex mera simplicitate promotis.

CAPUT XXXIII.

Contra Concubinarios. Rubrica.

De Concubinaris clericis castigandis.

AD arcendum *concubinatus crimen*, & de *clero* penitus ad eliminandum, summo studio per sacros canones provisum est.

Quia tamen quam plures Ordinarii & alii, ad quos pertinet, non adhibuerunt, nec adhibent diligentiam, quam haberent in eisdem provisionibus: Crimen præfatum in multis locis cum maximo catholicorum scandalo, & in totius clericalis contemtum ordinis frequentatur. *Cui morbo hæc sacra synodus volens occurrere decernit*, ut deinceps omnes in sacris ordinibus existentes, vel religionem aliquam de apparatis professi, *qui votum continentiæ*, ad quod se sponte obligarunt, *concubinatus fœditate violarunt*, pœnis infra scriptis ipso facto subjaceant. Ut videlicet, si habuerint beneficia secularia vel regularia, etiam si sint episcopatus vel firmiora beneficia, & *concubinas notorie tenuerint*, nisi infra mensem prorsus à se removerint, ipso jure intelligantur suis beneficiis *per hanc constitutionem* privati. Et possint ipsa beneficia libere per habentes potestatem aliis conferri & impetrari, vel aliis canonicis modis de aliis idoneis reformari.

Clericorũ Concubinariorum pœnæ.

Si vero beneficiati non fuerint, sint ipso jure inhabiles ad consequenda quæcunque beneficia: Pœnis aliis à sacris canonibus contra tales prædictos in suo robore remanentibus.

Quia verò circa evitationem talium diversæ reperiuntur opiniones, aliis asserentibus, quod a *presbyteris notoriis concubinariis*, quam diu tolerantur ab Episcopis & aliis superioribus, ita, quod per eos non est facta mentio specialis, & nominatim quod evitentur, licitum sit audire divina, & talia alia suscipere Ecclesiastica sacramenta ab eis; Aliis confirmantibus, ipsam notorietatem sufficere, ut quilibet possit & debeat etiam alia monitione non præcedente tales evitare: Volens *eadem synodus* animarum saluti consulere, & sentiens, ex hujusmodi evitatione, quam privati autoritate propria fecerunt, in nonnullis locis gravissima scandala exorta fuisse, decernit, priorem opinionem, quæ *monitionem præcedentem* exigit, tanquam tutiorem & non scandalosam esse præferendam. (*llll*)

CAPUT XXXIV.

De vestibus clericorum. Rubrica.

STatutum felicis recordationis *Clementis Papæ V.* contra clericos, absque rationabili causa *vestes virgatas* aut *partitas* publice deferentes, editum *in concilio Viennensi*, locum habere *decernit sancta synodus* in omnibus clericis, etiamsi Pontificali præfulgeant dignitate, qui absque causa similes *vestes viri-*

(*llll*) In margine posterioris hujus majoris Protocolli in fine canonis hoc adjectum monitum: *Provideatur de executione.*

virides, rubras, supra talum curtas, fissas, stampatas, aut *manicas latas ultra palmam*, seu *foderaturam odoram habentes*, alias prohibitas in concilio generali, de cætero publice portare præsumant.

Adjiciens, ut ultra *pœnas* ibidem promulgatas, ordinarii locorum clericos sibi subditos in præmissis excedentes, sive exemtos, apostolica autoritate monere teneantur, ut vestem talem habentes infra certum tempus dimittant, & tradant, pauperibus in eleemosynam erogandam. Quod si post trinam monitionem non fecerint, beneficiis suis sint ipso facto privati. Vel si beneficium non habuerint, sint omnino inhabiles ad idem.

Ordinarii vero, qui circa monitiones prædictas & executiones earum reperti fuerint negligentes, secundum negligentiæ modum per superiorem proximum, etiamsi sint Pontifices, appellatione postposita peroellantur, sive puniantur.

De viris eruditis ad officia sacra promovendis.

(*mmmm*) Ad *Episcopatum* nullus eligatur vel assumatur, nisi *Doctor in Theologia, Jure Canonico*, vel *civili*, vel notorie sufficiens Doctor reputatus. Excipe parvos Episcopatus, qui non ascendunt ad quatuor Centum florenos, ut sunt in civitatibus non insignibus.

Ad *abbatiam*, si est caput ordinis, vel Prior Abbas, id est, si aliàs habens vel habere debens conventum XXV. monachorum, sufficiat *licentia in jure canonico*, vel *baccalaureatus formatus in Theologia*, in minoribus auditio triennalis. Nisi esset *Cistertiensis* vel *Præmonstratensis ordinis*, in quibus competens Grammatica cum bona administratione sufficiat.

In dignitatibus primis post Pontificalem, in cathedralibus, vel principalibus, collegiatis & aliis, jurisdictionem habentibus, *doctoratus*, vel *licentia divini vel humani juris* requiratur. In cæteris dignitatibus sufficiat *baccalaureatus* cum lectura triennii.

In qualibet Ecclesia cathedrali sit una *præbenda pro magistro in Theologia*, qui saltem bis in septimana legat, & aliquando prædicet, & una pro Doctore juris Canonici vel civilis, qui in causis Ecclesiæ patrocinari teneatur. Nec aliis conferri possint.

Excipe Ecclesias habentes adeo præbendas exiles, ut non inveniant Doctorem, qui se velit ad præmissa obligare. De aliis vero præbendis *quarta pars graduatis debeatur in Theologia, jure canonico vel civili.*

In *collegiatis* vero non cathedralibus quarta pars prædictis, vel medicinæ vel artium magistro debeatur.

In *Ecclesiis parochialibus*, quæ sunt in villis insignibus, & valent centum florenos, vel ultra in portatis, requiratur *licentia juris canonici vel civilis*, aut *baccalaureatus formatus in Theologia.* Si vero fuerit extra insignes villas, sufficiat gradus baccalaureatus in scientiis prædictis, seu *magisterii medicinæ vel artium.*

In cæteris *parochialibus* & aliis beneficiis requiratur semper competens Grammatica, & alia, juxta dispensationem juris communis.

Et semper *graduatus non graduato*, vel magis graduatus minus graduato, & diœcesanus non diœcesano *præferatur*, in pari data.

Et prædicta intelligantur, sive per electionem, sive per collationem aut promotionem, in curia vel extra, assumatur.

CAPUT XXXV.

De pessima consvetudine cathedralium & regularium Ecclesiarum, quod in eis non admittantur, nisi de nobilium aut militarium genere procreati.

QUia in Ecclesiis quibusdam regularibus pessima servatur & inolevit consvetudo, vel potius corruptela, sic, quod in eis non admittantur nisi de nobilium

(*mmmm*) Quæ hic seqvuntur, usque ad novum caput, non ad præsentem titulum videntur spectare. Ut omissum esse titulum appareat. Respondent autem ex parte illis, quæ ex priori Protocollo supra ad caput XXII. *fol.* 623. longa serie recensuimus.

bilium aut militarium genere procreati, qui velut ex militia geniti *moribus laicalibus imbuti studia non frequentant, neque curant*, & sic *ignari* remanent & *idiotæ*: Ex quibus tunc consequenter per electionem talem qualem ad Ecclesias cathedrales hujusmodi militiæ dediti in prælatos promoventur, interdum *vix latinum fari scientes*, & actus militares tam in vestibus, quam in bellorum conflictibus & armorum insultibus, quia exercitati sunt in illis, magis prætendentes, quam quod actibus Pontificalibus pro acquirendis, conservandis & pascendis animabus & ovibus sibi subjectis, se ingererent, contra jura tam divina quam humana: Unde multa in populo ipsis subjecto scandala oriuntur, & Ecclesiæ ipsæ gravia damna & periculla patiuntur: Et specialiter plura solennia monasteria de ordine S. Benedicti desolata sunt, & deserta, ita quod in quibusdam vix duo aut tres monachi inveniantur, qui nec religiose vivere, nec divina curant ministrare, seu frequentare officia, bona etiam, res & possessiones monasteriorum, male dispensantes, in esse seu statu eorum non conservant, sed eorum aliqua ab ipsis monasteriis à lienant: Ideirco petitur super his provideri. [*nnnn*]

Eruditionis curam esse habendam in officiis Ecclesiasticis magnis.

Ad idem.

Omnes constitutiones seu consvetudines, quantumcunque servatas, etiamsi tanto tempore, cujus contraria memoria non existat, etiam per sedem Apostolicam confirmatas, quod ad Episcopatum, dignitates seu præbendas aut monachatum, nisi nobiles vel illustres, aut cujuscunque gradus, dignitatis, nobilitatis recipiantur, *declarat hæc sancta synodus* non valere, sed reputandas *corruptelas*. Nisi forte in ipsa fundatione Ecclesiarum seu beneficiorum probari possit, ex voluntate Patroni sic fuisse statutum. Quo casu ex Ecclesiæ tolerantia servari possint. Nisi talis nobilitatis homines de facili reperiri non possint. Quo casu ad explendum numerum canonicorum seu monachorum tales Ecclesiæ vel conventus etiam ignobiles admittere vel recipere teneantur.

Gradus etiam *doctoratus* vel *licentiæ in sacra pagina, jure canonico vel civili, pro quacunque nobilitate reputentur.*

CAP. XXXVI.

De fructibus indebite perceptis per Prælatos.

ADversus damnabilem abusum, quo quidam *Ecclesiastici prælati* requirunt, exigunt, & recipiunt, & *sibi inbursant* fructus integros aut duorum, vel medios duorum annorum, vel unius, in magnum detrimentum & gravamen pauperum, qui multa litigando expoſuerunt, ac in principio introitus sui multis indigent, pro regimine domestico, & hospitalitate servanda, cum tamen hujusmodi prælati alias sint sufficienter abundantes, & reditus pro suis mensis habent copiosos: Petitur igitur super his etiam provideri. (*oooo*)

Res pecuniaria coercita in clero.

CAP. XXXVII.

De iniquis statutis Ecclesiarum & monasteriorum.

QVum nonnulla Ecclesiarum & monasteriorum capitula & conventus quædam *nimis intolerabilia pauperibus, exorbitantia statuta* habere noscuntur, videlicet, quod nullus de novo admittatur, nisi *magna pecuniarum*

(*nnnn*) Desiderata hac de re *Constitutio Concilii* exhibetur infra *Parte XII.* in *Decretalibus Reformatorii Constantiensis, lib. 3. tit. 3. cap. 1.*

[*oooo*] Hoc factum quoque esse constabit ex *Decretalibus Reformatorii Const. l. 3. tit. 12. cap. 1.*

soluta quantitate: Ita etiam, quod talem admittendum, pluribus annis, antequam integram præbendæ portionem accipiat, oporteat *expectare*: Quo contingit, quod *pauperes* etiam, quantumcunque alias *idonei*, nimium prægraventur: Idcirco talibus gravaminibus & exactionibus succurrendo petitur provideri. (pppp)

CAP. XXXVIII.

De exactionibus per principes impositis clericis. Rubrica.

CUm prælati Ecclesiastici, principes seculares, & aliæ personæ, singulari exactionis genere clericos seculares & religiosos per nimias hospitalitates, vecturas, aliasque servitutes, venatores, falcanarios, canes & aves, quos clericis & religiosis committunt nutriendos, ac etiam porcos, boves & animalia ad impinguandum tradunt, nimis gravent: Idcirco petitur super hoc per optimum remedium provideri. (qqqq)

Clerum inferiorē non nimis esse onerandum à superiori.

CAPUT. XXXIX.

Ad idem, Contra libertatem Ecclesiasticam. Rubrica.

QVia per diversa loca fiunt, & hactenus facta sunt *statuta contra libertatem Ecclesiasticam*, collectæ, aliaq; gravamina per dominos temporales & communitates, spreta & calcata omni reverentia, quibuscunque clericis & eorum bonis, prætoriis ac laicis imposita, passim imponuntur: Per optimum videtur, quod, etsi præmissa à jure satis damnata sint, tamen denuo *per hoc sacrum concilium* pro majori firmitate adhibeatur omnis cura possibilis, *quod illa omnia de facto tollantur*: Et nova pœna formidabilior *taliter facturis*, & clericis aut bonis ipsorum gravamina seu collectas imponentibus, statuatur. Quia pœnæ alias à jure inflictæ contemnuntur & vilipenduntur. (rrrr)

Ecclesiasticorum bona non citra necessitatē onerāda.

CAP. XL.

Quod revocetur Auditor cameræ, qui est in Avinione, & potestas Pœnitentiarii minoris extra curiam, & quæstores extraordinarii.

COnclusum, quod revocetur *auditor cameræ*, qui est *in Avinione*, tanquam superfluus, & per cujus officium nimium præjudicatur officio auditoris cameræ, qui est in curia.

Revocentur etiam omnes concessiones factæ aliquibus extra curiam, per quas conceditur eis illa potestas, quam habent *pœnitentiarii minores in curia*.

Revocentur etiam omnes *quæstores extraordinarii*. Ut illi, qui de consuetudine non habent, vel ex privilegio, concessis locis vel hospitalibus, quæ possunt facere.

CAP.

(pppp) Et huic desiderio mox factum satis in Reformatorio Concilii Constantiensis. Vide infra *Parte XII.* in *Decretalibus Reformatorii Const. lib. 3. tit. 12. cap. 3.*

[qqqq] Præstitum & hoc in Reformatorio Const. Vid. *Decretal. Reform. Const. l. 3. tit. 12. cap. 5.*

(rrrr) Vide infra *Parte XII. l. c. cap. 4.*

CAP. XLI.

Contra Prælatos, qui non incedunt in habitu & tonsura decenti.

FUit conclusum, quod Prælati, videlicet Patriarchæ, ArchiEpiscopi, Episcopi, Abbates, si omiserint incedere in *habitu & tonsura* per annum, sint ipso jure privati suis beneficiis. Et libere possint habentes potestatem eligendi vel conferendi, eligere & conferre.

Tonsura cleri.

Et sub *habitu clericali* intelligatur, quoad prælatos seculares, quod portent rochetum & Cappam, vel troccam vel mantellum, & quoad regulares, quod portent habitum suæ religioni convenientem.

CAP. XLII.

Quod Prælati habeant vicarios non idiotas sed bene literatos.

ET fuit conclusum, quod hoc fuit de jure communi: Tamen fiat constitutio, in qua decernatur, quod omnes prælati & personæ Ecclesiasticæ, habentes jurisdictionem spiritualem, non possint causam exercere nisi *per clericos non uxoratos & bene literatos*, item *in jure peritos*. Et si per non clericos fuerint latæ sententiæ, sint nullæ. Et quod imponantur pœnæ sufficientes contra contrafacientes.

CAP. XLIII.

De juramentis capitulorum præjudicantibus Ecclesiis. Rubrica.

PRopositum fuit *de juramentis, quæ exiguntur per capitula vel conventus, ante electionem*, vacante sede Apostolica, quæ singuli de capitulo jurant, quod, si eligentur, faciant talia, quæ sunt *in grave præjudicium* Ecclesiarum, seu mensæ Episcopalis aut alterius prælaturæ.

Ad quod dictum fuit, quod juramenta non tenentur.

Sed quia non observantur de facto, quod apponantur pœnæ, puta, quod *electio* sit nulla, & *eligentes* priventur jure eligendi proxima vice seu vacatione.

Addiderunt etiam aliqui, quod *electus* sentiatur inhabilis perpetuo ad illam dignitatem.

Dixerunt & alii, quod etiam quoad *eligentes* adderetur major pœna.

CAP. XLIV.

Quod prælatus contra prælatum non possit propria autoritate indicere bellum. Rubrica.

ITem omnes convenerunt, quod erat justum, quando dicitur *ad offensam*, quod hoc tunc non debet fieri sine licentia superiorum, nisi in defectu justitiæ. Sed de pœna indicenda fuit varietas.

Ideo dixerunt, *quod cogitaretur maxime per nationem Germanicam, ubi talia plus quam alicubi eveniunt.*

Germania fatiū.

Dictum etiam fuit, quod *Germanici* sint *cum Domino Cardinali Florentino*, & declarent præmissa duo capitula, ut videbitur, & iterum hic videatur.

Francisco Zabarella cum natione Germanica de fatis quibusdam Ecclesiæ in Germania in Constant. Concilio deliberavit.

Raris-